

# Borys Jan Bałyk

---

## Duo documenta, ad res gestas Iosephi Velamin Rutki, metropolitae kioviensis spectantia primo eduntur

---

Collectanea Theologica 29/1-4, 49-97

---

1958

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Borys Joannes Bałyk OSBM

DUO DOCUMENTA, AD RES GESTAS IOSEPHI VELAMIN  
RUTSKI, METROPOLITAE KIOVIENSIS SPECTANTIA  
PRIMO EDUNTUR

I. Ad fontes

In „Wojewódzkie Archiwum Państwowe“, Lublini, in collectionibus actorum, quibus inscribitur: „Grecko-katolicki Konsystorz w Chełmie“, in fasciculo cum signatura: Supplementa nr 8, paginis: 585—609, exstant duo pretiosa documenta, activitatem vitalem insignis metropolitae Kioviensis (1613—1637), Iosephi Velamin Rutki illustrantia. Adest nempe ibidem fragmentum manuscripti: „Vita Iosephi Velamin Rutki, metropolitae Rhussiae, conscripta latine ab eius successore Raphaele Korsak, metropolita Rhussiae, eiusdemque verbis hic transcripta ex manuscripto, quod haberi potuit, alicubi mutilo nec absoluto“. Necnon: „Discursus Rhuteni cuiusdam de corrigendo regimine in ritu Graeco, conscriptus Vilnae anno 1605 in ianuario“.

Documenta haec iam descripta elucubrataque sunt a Prof. Platone N. Żukowicz in articulo: *Żyznieopisanije mitr. Josifa Weljamina Rutskago, sostawlennoje mitr. Rafailom Korsakom i soczinienije Rutskago ob uluczszeniі wnutrieniago stroja w uniatskoj cerkwi*“. (Christianskoje Cztienje, 1909, awgust — sientiabr, god 89, — pag. 1089—1108). Nihilominus et antea quidem eis usi sunt alii auctores, praecipue: D o m A l-

phonse Guépin, in studio: „*Saint Josaphat, archevêque de Polock*“, t. I—II, Poitiers — Paris 1874; (conf. I, p. 32, nota 1, et p. 51), atque in editione altera, quae inscribitur: „*Un apotre de l'union des Églises au XVII-e siècle*“, t. I—II, Paris — Poitiers 1897—1898, (conf. I, p. 33, nota 1, et p. 53). Deinde A. G. Welykyj, in articulo: „*Ioannes Velamin Rutskyj in „exitu viarum“*“, (1603—1608)“. (Analecta Ordinis S. Basilii Magni, t. I (VII), 1, Romae 1949, p. 9—38), quippe in p. 31, nota 44, exponit summam ideas Rutsicii, propositas in „*Discursu... de corrigendo regimine*“..., nisus nonnisi summario a Żukowicz relato.

Quam ob rem editio horum documentorum „in extenso“ — pro examinanda vita ac activitate illius metropolitae ecclesiae Ruthenae postulatum historiographiae constituit. Clare enim patet, investigationes historicas inniti necesse est fontibus solidis pro accuratioribus conclusionibus efformandis. Procul dubio scientia historica in quaestionibus movendis, examinandis solvendisque semper claudicabit, vel dumtaxat labefactabitur, si opera tantum elucubrationum, seu fontium e secunda manu provenientium utetur. Eo vel magis si rei gestae relatio a partibus adversis, hoc in casu disunitis, originem trahet. Obviae enim sunt vel in exponendis rebus factis recessiones a vero in relatione a Żukowicz tradita, praesertim in conclusionibus finalibus, ab eo deductis super proposita Rutsicii „*de corrigendo regimine*“, quae inferius elucidamus.

Insuper sequens circumstantia vel praesertim compellit adducitque necessitatem publici iuris faciendi utrumque supra nuncupatum documentum, quia nuper anno 1956, in editione: „*Analecta Ordinis S. Basilii M.*“, Series II, complectenti: „*Documenta Romana Ecclesiae Catholicae in terris Ucrainae et Bielarusjae, cura PP. Basilianorum*, (Romae, Piazza Madonna dei Monti 3) *collecta et edita*“, prodierunt „*Epistolae Iosephi Velamin Rutskyj, Metropolitanae Kioviensis Catholici (1613—1637)*“, auctoribus P. Theodosio T. Haluščynskyj et P. Athanasio G. Welykyj OSBM. Videlicet in hac collectione variorum actorum, res gestas illius magni

metropolitae illustrantium, nihilominus deest biographia eius, ab ipsius successore metropolita Raphaelē Korsak (1637—1640) composita. Ad mentem editoris, elucubrationes maioris momenti ad metropolitam Rutski spectantes congregantis: “in principio omnis bibliographiae, quae de persona tractat Iosephi Velamin Rutskyj, poni debet illa famosa Raphaelis Korsak, metropolitani Kioviensis, „Vita Rutschii“... Proh dolor! hanc prae manibus habere non potuimus, propter circumstantias locorum et temporis nequitiam“ (pag. XXX). Deest ibidem etiam opus Rutschii: „Discursus — de corrigendo regimine“.

Exinde patet, si editio utriusque documenti non eveniret, cognitio ingenii ac rerum gestarum Rutschii penitus investiganda deficeret, esset incompleta atque omnino progressus historiographiae magis fundamentalis in respectivis quaestionibus prope impossibilis evaderet. Quominus huic necessitati consulamus, ad editionem horum solidorum fontium accedimus, et quidem publicatio fit in forma, quae eorum nunc nobis ad manus praesto est.

Rutschii tractatus, qui inscribitur: „Discursus Rutheni cuiusdam de corrigendo regimine in ritu Graeco, conscriptus Vilnae anno 1605 in ianuario“, ad nostra tempora in versione Latina conservatus est. Scripsit ipsum Ioannes Velamin Rutski, nomine tecto, homo adhuc saecularis, attamen munere tunc rectoris seminarii clericorum ritus Graeci Vilnae fungens, mense ianuario anno 1605, de quo componendi tempore in ipso tractatus titulo satius exprimitur. Argumentum eius constituit propositum instaurationis intellectualis moralisque, seu quoad „doctrinam et sanctitatem“ non solum hierarchiae ecclesiae Ruthenae, verum etiam cleri saecularis, opera quippe reformationis status religiosi Rutheni, seu „instituti Sancti Basilii“ (sic enim nuncupatur a Rutschio status monasticus ante eiusdem posteriorem reformationem reapse decursu temporis subsecutam). Restauratio status religiosi Rutheni a Rutschio anno 1605 praeconcepta, ordianda esset hoc modo, „ut religio quaeipiam ritus Romani“ „mittat“ aliquot religiosos, qui „absolute amplectantur“ ritum Graecum et

„religionem s. Basili“; inhabitent aliquod monasterium Basilianum, atque in lingua Ruthenica et ceremoniis liturgicis edocti, statui religioso Ruthenorum „scientias pietatemque“ transfundant. Decursu temporis e sic reformatis religiosis eligantur candidati, qui sedes episcopales ascendant, simulatque penes reformata monasteria aperiantur scholae, in quibus non solum filii nobilium, verum etiam alumni pro statu sacerdotali saeculari educandi instituantur. Sic igitur proposita est a Rutschio perspicax ratio agendi, magni momenti campos ac institutiones vitae socialis religiosaeque ecclesiae Ruthenae complectens.

Non constat accurate, cui hic tractatus Rutschii directus est. At verisimiliter eis personis, quarum erat renovationem intellectualem ac moralem ecclesiae Ruthenae procurare, primo quidem loco — metropolitae Kioviensi Hipatio Pocij et episcopo Latino Vilnensi Benedicto Woyna. Praeterea ipsa inscriptio operis notificat tractatum in originali polonice exaratum esse, vel verisimiliter etiam — ruthenice, prout in manuscripto, quo usus est Guepin, delineatum fuisset. Attamen ignotum est, quando ac quo fine translatio in linguam Latinam perfecta fuerit. Nimirum versio facta est adhuc saeculo XVII, nam ex hoc saeculo ad finem vergente, originem ducunt manuscripta, quibus iam confecta translatio Latina, de qua adhuc innuemus, continetur. Probabilissime versio facta est a biographo et successore Rutschii — metropolita Raphaele Korsak, vel ab illo „collectore“, qui in manuscripto finitam post „vitam“ Rutschii commemoratur. Si autem translatio e linguis Slavis in Latinam facta est, tunc certo non pro catholicis Rei Publicae Polonae, sed pro curia Romana destinata est. Quo fine? Ni fallimur eo fine, ut res exaltationis in altare seu beatificationis metropolitae Rutschii promoveretur. Sed quia textus Polonus, respective Ruthenus istius tractatus conservatus non est, publicatio eius Latina<sup>1)</sup>, locum textus originalis supplere debet.

<sup>1</sup> Conf. P. Welykyj, in *art. cit.*, anno 1949 asseruit, „copiam (tractatus) ab A. Guepin factam, (esse) in Bibliotheca Nationali Po-

Quod vero spectat manuscriptum „Vita I. V. Rutski“, calami metropolitae Korsak, tum minime constat, quae sors obtigerit copiarum, non solum a Żukowicz, verum etiam a Guepin adhibitarum. Hic adnotat<sup>2)</sup> quidem, copiam in Bibliotheca Polona, Parisiis „depositam esse“. Procul dubio secundum hanc informationem P. Welykyj, (art. cit. pag. 10) anno 1949 asseruit, copiam „esse hodie“ in praenominata bibliotheca, attamen in catalogo: Chowaniec Czesław, *Katalog rękopisów Biblioteki Polskiej w Paryżu*, t. I, *Rękopisy 1—431*, Kraków 1939, complectenti manuscripta saec. XVI—XIX, nulla mentio „Vitae I. V. Rutski“, auctore Raphaelae Korsak exstat. Qua de causa pro maiore certitudine evincenda, ope „Biblioteka Narodowa“ Varsaviae, directa est ad Bibliothecam Polonam, Parisios, petitio pro inventione ac confectione copiae (seu photocopiae) huius scripti. Tandem responsum huiusmodi accepi de die 20.III.1958: „Quamquam Guepin re vera de depositione copiae apud Bibliothecam Polonam innotuit, nihilominus manuscriptum hoc non est conservatum in collectionibus usque ad annum 1930, id est, ad tempus, quo in bibliotheca ordinatio manuscriptorum et in specie, quo catalogus redigendus incoeptus fuit“. In eisdem litteris (de die 20.III.1958) bibliothecaria Wanda Borkowska notam addidit: „Non possumus responsionem praestare in quaestionem, utrum „Vita“ Rutscii contineatur collectionibus ad „Słownik Biograficzny“ spectantibus (nr 257 Catalogi). Omnia enim documenta, ad „Słownik Biograficzny“ pertinentia, mutuata sunt ante ultimum bellum Cracoviam, commissioni curanti „Słownik Biograficzny“, Polska Akademia Umiejętności, ac haud dubie ibidem nunc adsunt“. Ad mentem huius informationis contuli me ad memoratas collectiones „Słownik Bio-

---

lona, Parisiis“. Attamen haec copia — secundum informationem bibliothecariae Wandae Borkowska, deest in Bibliotheca Polona, Parisiis, ac omnino „non fuit huic Polonae Bibliothecae tradita“. Kossowski Aleksander, *Blaski i cienie unii kościelnej w Polsce w XVII—XVIII w. w świetle źródeł archiwalnych*, Lublin 1939, 40, nota 1. sine fundamento hunc tractatum „redactas a Rutscio regulas Ordinis Basilianorum“ existimat.

<sup>2)</sup> Conf. op. cit., ed. 1, 32, nota 1; ed. 2, 33, nota 1.

graficzny“, quae quidem „traditae erant Bibliothecae „Polska Akademia Nauk“, (Kraków, ul. Sławkowska 17 — parter), sed apparuit, in his collectionibus „Vitae“ metropolitae Rutschii, a Korsak compositam abesse. Exinde patet, copiam manuscripti, qua usus esset Guépin, re vera conservatam non esse.

Quae cum ita sint, remanet aditus inquisitionibus historiographiae solummodo ad manuscriptum — proh dolor — incompletum, quod Lublini, in „Wojewódzkie Archiwum Państwowe“ reperitur, quodque nobis praestolatur. At hoc in fonte ex omnibus circa quadraginta capitibus, desunt tredecim (e tertio decimo remansit tantummodo fragmentum sententiae). Deficit igitur circa tertia pars totius manuscripti, enarrans originem ac iuventutem Rutschii<sup>3)</sup>. Mutilata autem biographia incipit narrationem de vocatione religiosa dein archiepiscopi Polocensis ac martyris, s. Iosaphat Kuncewicz (caput 14) atque de itinere Romam et reditu Vilnam anno 1606 Ioannis Velamin Rutski (caput 15). Nihilominus et haec quidem mutilata biographia metropolitae Rutschii est summae praestantiae pro scientia historica, primo quia maioris momenti res gestas vitae activitatisque eius illustrat, ac praesertim eius structuram moralem sanctitatis plenam demonstrat, spargentem — ut explicat Guépin<sup>4)</sup> — „*un parfum de piété*“. Depingit nempe metropolitam ut filium fidelem ecclesiae Catholicae, exemplar optimi religiosi ac zelantissimi animarum pastoris, singularibus ac gradu heroico virtutibus lucentem, quibus perfectio christiana sanctitasque constituitur. Secundo: in hoc consistit ingens pretium testimonii metropolitae Korsak de Rutschio, quia non solum testis eius modi agendi fuit, sed etiam se praebuit cooperatorem eius in rebus ecclesiasticis, zelum atque energiam vitalem metropolitae Rutschii absorbentibus. Quam ob rem biographia a Korsak composita ad genus „memoiristicae“ compu-

<sup>3)</sup> Maciejowski Wacław Aleksander, *Piśmiennictwo Polskie od czasów najdawniejszych aż do 1830 r.*, t. III pag. 633—684, citat in versione Polona fragmentum „Vitae“ de origine ac iuventute Ioannis Velamin Rutski.

<sup>4)</sup> Conf. op. cit. 32, nota 1; aliter in ed. 2, (33) accidit haud dubio erratum in typo, si ibidem legimus: „*un parfum de piété s'exhale de ses pages*“.

landa est <sup>5)</sup>). Propter nempe pondus notitiarum in ea contentarum, etiam haec incompleta biographia iure meritoque digna est typo publicandi in „extenso“, donec adinveniatur integrum manuscriptum „Vitae“ Rutschii.

„Vita“ metropolitae Rutschii probabilissime scripta est tempore commorationis metropolitae Korsak Romae, quam hic adiit sub fine septembris anno 1639 ac ibidem supremum diem obiit 28 augusti 1640 <sup>6)</sup>). Notandum adhuc est ab eodem auctore metr. Korsak provenire aliam etiam biographiam metropolitae Rutschii seu potius brevem informationem biographicam, si nitamur testimonio anonymi „collectoris“, qui coadunaverat manuscripta metropolitam Rutschii attinentia. „Collector“ nempe, qui fuit verisimiliter P. Basilius Batori Silesius <sup>7)</sup>, ut notatum est in manuscripto, quo usus est Żukowicz, (pag. 1090), asserit de se ipso haec (conf. in textu): „Vidit collector huius operis et alia methodo eandem Iosephi vitam ab eodem conscriptam Raphaelae, quae amplius non exstat, memorabantur autem in ea quaedam heroica“. Secundum ergo mentem „collectoris“, in altera biographia metropolitae Rutschii „memorabantur“ praecipue „quaedam heroica“; quae verba adamussim sunt eadem, vel optime conformantur cum iis, quae deprompta sunt de „longiore adnotatione Annalium Collegii Graecorum de Urbe de suo olim alumno, Iosepho Velamin Rutschkyj“ <sup>8)</sup>). Legimus nempe ibi statim initio eadem verba auctoris ex argumento suae narrationis de metropolita Rutschii: „Inter alia plane heroica opera“. Sin autem comparetur stilus scribendi illius biographiae et huius „adnotationis“, atque argumentum amborum operum, tum appareat, „adnotationem“ non nihil abbreviationem biographiae illius esse. Caeterum auctor „adnotationis“ de se ipso scribit: „Vitam autem (Rutschii) clausit, ut

---

<sup>5)</sup> Analisisim „Vitae“ Rutschii a Korsak elaboratae — sub respectu operis historici et litterarii exhibet Żukowicz, *art. cit.*

<sup>6)</sup> Conf. Welykyj, in prooemio ad opus cit. „*Epistolae I. V. Rutschkyj*“, XXX. Diem obitus condit Welykyj in art. „*Annus et dies mortis metr. Raphaelis Korsak*“, Anal. OSBM, I(VII), 1, 145—160.

<sup>7)</sup> Conf. Annal. OSBM, I, 1, 111.

<sup>8)</sup> Conf. Haluscynskyj — Welykyj, *Epistolae*, 5—8.



ego quidem a quodam abbate accepi, — Alia plura adducenda, quae ad vitam ipsius pertinent, volens omitto, solum ea retuli, quae de ipsius zelo in propagatione Catholicae religionis habere potui, imo aliqua alia etiam, quae brevitatis causa omisi<sup>9)</sup>. Ipse auctor videtur metr. Korsak fuisse, qui de vita sui defuncti praedecessoris a praedicto abbate illa comperierit<sup>9)</sup>. Illa autem „alia plura adducenda“ de Rutschio fusius reddit videlicet in hac, de qua sermo instituitur, biographia.

Textus manuscripti „Vita I. V. Rutski“ e „Wojewódzkie Archiwum Państwowe“, Lublini, depromptus — ut opinor — originem ducit ab initio saec. XVIII. Caeterum videtur posterior esse textui tempore regiminis papae Innocentii XI (1676—1689) orto, quam circumstantiam ipse „collector“ manuscriptorum ad metropolitam Rutski attinentium commemorat. In transcriptione textus manuscripti Lublinensis triplex character scripturae manifestus est. Ex hoc concludendum liceat, re ipsa factam esse — ut videtur — collectivam (a tribus copisitis) textus transcriptionem, non autem a solo „collectore“, prout ipse commemorat. Collective ergo haec tempore posteriori transsumpta sunt.

In copiis manuscripti „Vitae“ Lublinensis, uti etiam in eo, quo Żukowicz usus est, obviae sunt nonnullae, quamquam non tam numerosas corruptiones textus cum deficientibus verbis vel a transcriptoribus non perlectis, quod notatum est medio punctorum. Etiam in hac praesenti editione puncta eundem statum corruptum ac signatum textus manuscripti innotescunt.

Ignota est nobis sors iniqua manuscripti, Lublini canservati. Nihilominus nonnulla vestigia dantur, fasciculum e collectionibus bibliothecae monasterii Basilianorum in Chelm derivatum esse. Ita enim inferendum esset ex inscriptione illius fasciculi, varia soluta documenta continentis, ad res gestas ecclesiae Ruthenae ac ordinis s. Basilii M. spectantia, inter quae etiam manuscriptum „Vitae“ metr. Rutschii reperitur. „Quae acta anno

<sup>9)</sup> Exinde falsum existimatur datum exaratae „adnotationis“, „Romae... 1609—1610“ in ed. „Epistolae“, 5.

1882 inserta sunt in collectionem Musaei anno praecedenti conditi et ad ecclesiastico — historicam confraternitatem Deigenitricis in Chelm pertinentis<sup>10)</sup>. Mutilatio autem textus „Vitae“, ut videtur, exinde evenisse, quod solutae fasciculi chartae capita initialia continentes non erant consutae. Sed quando hoc factum, non constat.

Tandem „pro domo mea“ innuere liceat, inquisitiones meas de rebus metropolitanae Rutscii gestis emersisse in nexu cum quaestione investiganda de seminariis clericorum tempore archiepiscopatus illius metropolitanae, ac praesertim de seminario in Mińsk Litewski. Exinde studium „De seminariis clericorum in ecclesia Ruthena saec. XVII“ elucubravi. Propter has inquisitiones adipisci contendebam „Vitam“ metr. Rutscii, de qua comperii e studio: Aleksander Kossowski, „*Blaski i cienie unii kościelnej w Polsce w XVII—XVIII w. w świetle źródeł archiwalnych*“ (p. 40). Quam ob rem dum curam meam eo intendebam, ut a memorato archivo Lublinski manuscriptum fasciculi acciperem, ecce nuntius mihi perfertur, belli ultimi tempore tomum hunc inter alias collectiones archivales deperditum esse. Qua de re certorem reddidi Prof. Kossowski, petendo ab eo auxilium in recuperanda „Vita“ Rutscii. Ac reapse brevi tempore a Prof. Kossowski litteras faustas accepi, fasciculum tandem reinventum esse. Quae commemorans, exopto debitas exhibere gratias Prof. Alexandro Kossowski pro faventi ac laudabili adiutorio in adinventionem pretiosi manuscripti, ex quo provenit hic publici iuris factus biographiae metropolitanae Rutski textus.

Ordinem in editione nuncupatorum documentorum relinquimus talem, qui in manuscripto fasciculi adest. In adnotationibus intra textum introductis dubius legendi sensus vel nonnulla menda in textu obvia significantur. Explicationes quoad nomina personarum ac locorum diligens historiographus fontium studiosus supplebit sibi ope elucubrationum supra nuncupatorum auctorum, praesertim Guepin. Quam ob

---

<sup>10)</sup> Conf. Kossowski, *op. cit.*, 40.

causam commentatium ad textum — ut opinor — supervacaneum esse.

II. *Vita Iosephi Velamin Rutski, metropolitae Rhussiae, conscripta latine ab eius successore Raphaelē Korsak; metropolita Rhussiae, eiusdemque verbis hic transcripta ex manuscripto, quod haberi potuit, alicubi mutilo nec absoluto*<sup>11)</sup>. (p. 585) ut mare commotio Rhussiae Catholicae, ultimum animae Deum sitiētis impetum non molitus.

#### Caput 14.

##### *Occasio vocationis religiosae.*

Iosephat (sic!) servus Dei, de quo saepius infra diversis occasionibus, archiepiscopus Połocensis, post modum et martyr praecesserat Iosephum ad Religionem S. Basilii biennio, ad quam eundem sollicitē cum magna tamen humilitate et dexteritate inducebat. Cum enim iunior aetate Iosepho esset, non audebat aperte (?) per se, sed per alias personas id perficiebat. Conveniebat ergo illo tempore saepius Iosaphatum Iosephus, (manserat enim in domo monasterio contigua tempore satis longo), colloquiis spiritualibus cum eo occupatur, vel aliquos fidei articulos eidem explicabat, vel aliqua loca scripturae, verbum autem otiosum non auditum est, vel unum inter illos intercessisse, toto illo tempore singulis fere diebus visitabat ipsum. Ita ut iam tum Deo et Divinis vacare coeperit, differebat tamen ingressum in religionem Deo adhuc ita disponente. Ita ut Iosaphat amore in Deum accensus carens tali vita sociorum quo sperabat se vivere posse religiose, volebat abire in desertum, ut sine distractione soli Deo vacaret. Sed Iosepho et quibusdam viris alterius religionis disuadentibus expectabat tantisper, donec Dominus mitteret instinctus et inspirationes fortes Iosepho, quibus iam amplius contradicere non posset, donec tandem pio hoc desiderio potius esset, de quo infra.

---

<sup>11)</sup> Titulus ex *art. Żukowicz* depromptus.

## Caput 15.

*Domo Romam iterum redit Iosephus*

Non ferens hoc animi, inter saxum sacrumque ut dicitur haerentis vulnus diutius Iosephus Roman iter instituit, petiturus ~~et~~ per summum Pontificem a iuramento illo supra ritus Graeci observatione liberaretur. Venit ergo in Urbem circa annum 1606, apud quem obtenta audientia exponit vocationem suam statum Rhusiae, intentum suum et supplicat Vicario Christi ut conscientiam illius exonerare dignaretur, et ab illo Iosephum liberaret iuramento, vel ut saltem illud iuramentum commutaret in aliud, scilicet ingrediendi religionem aliquam et in particulari Societatis Iesu vel Carmelitanorum Discalceatorum. Habuit haec res summam in deliberatione Pontificia difficultatem, eo quod modus ille a praedecessore suo approbatus pro iuvamine Rhutenorum recenter conversorum mirum in modum eidem probaretur. Ad dissuadendum itaque Iosepho hanc mutationem aliquot graves instituuntur praelati et religiosi, qui pro rei dignitate idem oratori exponerent. Et quod caput pontificium quoque iudicium interponeret, ita in Domino decernens, ut ritum Graecum omnino profiteretur. Iosephus illis iam plures aperit causas, propter quas nullo modo se posse esse ritus Graeci aperte demonstrat. Tandem evincit, ut illud iuramentum sublatum esset et facultas data ingrediendi unam ex duabus religionibus supradictis. Hic iam tot fluctus emersus Iosephus in malatiam animi sui tum primum venisse videbatur, laetus deinde domum reditum instituit, nonnisi medio anno Romae demoratus.

## Caput 16.

*Iosephus Roma redux, secum ipse deliberat, tandem miraculose ingreditur Religionem S. Basilii in monasterio Vilnensi SS. Trinitatis.*

Roma redux Iosephus de sua vocatione potenter deliberat, sed ecce omne deliberatum Decretum Altissimi concludit

evidenter. Erant Iosepho a consiliis spiritualibus patres Societatis Vilnae eo tempore, inter alios autem bonae memoriae pater Valentinus Fabricius, concionator tum Vlnensis, postea autem Serenissimi Regis, qui multorum annorum et meritorum in ecclesia Dei plenus obiit Varsaviae ante aliquot annos. Hic Iosepho nihil minus cogitante in quadam concione publica, illomet praesente post finem concionis dixit haec verba: Post octiduum nempe Dominica proxime sequenti dominus Ioannes Rudski, quem vos optime nostis, ingreditur Religionem S. Basilii in monasterio SSS. Trinitatis; invitamini omnes pro illa solemnitate. Verba haec inopinata (p. 585v) ita perculerant Iosephum, ut ferre deliquium pateretur. Accurrit recta ad patrem rectorem Societatis, in forma solenni conqueritur de iniuria sibi facta a concionante, se nil minus cogitasse, sed velle Societatem omnino ingredi cum dispensatione pontifica(!) Rector advocat concionatorem, acriter reprehendit, quod non collatis cum Iosepho signis, tubam cecinerit. Res hic nova et inaudita, concionator iuramento se velle confirmare palam testatur, quod nihil tale se dixisse sciat; et si dixerit, iubente Deo id factum, illo autem ad nihil, neque ante concionem, neque in concione scienter aut volenter concurrente. Non contentatur hoc responso Iosephus, adit episcopum Vlnensem, Benedictus Woyna tum fuerat, causam suam, ut ab ordinario vicario poscit. Et vel maxime quod putaret in maius suum ludibrium, illam a concionatore ignorantiam praehendi, Divino rem cognoscens instictu episcopus, „Domine Ioannes“ — inquit — „etiam si tu non cogitaris, nec fortassis pater concionator cogitarit; Dominus Deus hoc te facere vult omnino ac proinde ne amplius resistas Spiritui Sancto, sed omnino religionem illam ingrediaris“. Et in instanti se ipsum offert ultro episcopus ad solennitatem illam ex praesentia sua, et sumptu peragendum. Hic iam amplius Iosephus rem cum amicis communicat, prae dolore alterationem sanitatis notabilem passus. Tandem resumptis viribus et per patres Societatis animatus, vestes sibi religiosas parari iussit, is enim mos tum temporis fuerat, ut nequidem vestes daret superior.

religiosis, sed ipsi debebant sibi in saeculo procurare, et suis vestibus in ingressu vestiri. Tantis tum fuerat inter Rhutenos zelus animarum. Paratis vestibus die Dominico anno 1607 mensis septembris secundum vetus die 6, quo die secundum ritum Graecum festum Apparitionis S. Michaelis Archangeli solenniter celebratur, in maxima magnatum et populi frequentia, a duobus canonicis Vilmensibus ductus in ecclesiam SSS. Trinitatis e manu Emanuëlis (sic!) archimandritae habitum religiosum suscepit, et Ioannis nomine cum saeculo abrenuntiato, Iosephus nuncupatur. Habitum vero suscepit Iosephus in comitatu quatuor aliorum. Ac tandem intra tres menses fecit hoc est 1 ianuarii 1608 professionem, emissus in manu eiusdem archimandritae in praesentia eorundem magnatum et aliorum, qui illa fama exciti ad hunc actum convenerant, hic denique anxia illa mens animusque Iosephi per mare, per terras quietem quaerens et non inveniens conquievit. Sed hic notanda est prima Iosephi afflictio et visio quasi prodroma futurum. Professionem facturus Iosephus pridie convenit archimandritam suam Samuelem cum eodem spirituale instituit colloquium, in quo inter caetera, de tribus facta mentione votis, haec addidit: „Velim, inquam, sciat r(everenda) p(aternitas) v(estra) me velle iurare votum castitatis absolute, at vero in votum obedientiae et paupertatis non nisi sub conditione. Ita nimirum ut si r.p.v. unum idemque cogitat cum r(everendissimo) Hypatio metropolitano nostro et patre Fabrico(!) S.I., qui me ad hanc induxit religionem, iurabo advitalicium tibi reddendam obedientiam, alias non. Itemque si congregati re aliique congregandi in communitate, quam nunc instituimus, vivemus, et vivent, bona mea patrimonialia Ruta dicta huic monasterio inscribam, alias non“. Pupugit haec Iosephi realis resolutio Samuelem, atque ideo occultum odium. Diversis proinde modis ac meritis (licet in crastinum Iosephum ad professionem admiserit) Hypatium pertentavit ad reddendum eidem infestissimum. Et reddidit, sed non nisi infestus Iosepho fuerat Hypatius perterquam(!) tribus mensibus, quibus elapsis Samuelis dolus cognitus, haec catholicorum sacerdotum ira...

## Caput 17.

*Hypatius metropolita Iosephum ordinat in diaconum et sacerdotem.*

Visis et paenitus consideratis tanti fervoris initiis, Hypatius metropolita Iosephum reluctantem licet, et se ad ordinem minus idoneum adhuc ex humilitate dicentem in diaconum primum post modum in sacerdotem ordinavit post... modico tempore interlapso. Qui hoc sacramento insignitus vere servum Dei et Altaris exhibuit(!). Hinc frequentius Sacrum cum summa praeparatione celebrabat et non nisi humillima praemissa confessione, qua frequentiori Panis Angelici refectio, summum spiritualium affectum (p. 587) simul et gustum augmentavit. Quin etiam suos iuvenes novos religiosos ad frequentiorum communionem verbo et exemplo induxit, ut rarus esset, qui non bis in hebdomada hoc catholicae peregrinationis viatico se reficeret, nullus autem, qui non quibuslibet diebus Dominicis et festibus. Quod illa tempestate fuit omnino novum tantoque in oculis omnium magis charum, quo magis rarum. Res enim pessimi exempli tum fuerat in ritu Graeco, ut spirituales quoque et si qui fuerant religiosi non nisi aliquoties tantum in anno et ad summum quatuor vicibus secundum quatuor quadragesimas communicarent. Ita famelicam quoad spiritualia mentem explebant, pastores illius aevi Spiritus omnino ignari. Sed eodem quoque Iosepho authore duce et magistro saeculares quoque recentes catholici, ad Sacramentorum frequentationem inducebantur.

## Caput 18.

*Monasterium Sanctissimae Trinitatis aedificat Iosephus.*

Inter alia, quae Iosephum ab ingressu in hanc religionem deterrebant, illa erant duo inter praecipua. Domus inordinata, ita ut monasterium dici non posset, et defectus religiosorum,

cum quibus monasterice viveret. Ad utrumque igitur serium applicuit animum tanquam si sibi unico utraque haec provincia impenderet. Invenit itaque domum eo magis inordinatam, quo locus augustior esset. Arca enim monasterii civibus ad habitandum, et domos saeculares extruendas concessa fuerat propter lucri cupidos archimandritas, qui sibi duntaxat duas cum refectorio cellas cum hortulo perexiguo reservarunt. Reliquum vero, quod supererat aedificium conducebatur civibus pro mercibus illorum deponendis. Ac proinde Iosephum oportuit in uno eodemque loco et studere et prandere et dormire et hospites ultro visitatum consolatumve venientes excipere cum extrema illius distractione. Quare omnes patrimonii sui redditus ad reparandas illas antiquissimi monasterii ruinas mendicare et pro tam pio opere non erubuit quin facile eleemosynam conquirebat, propter magnam cum maximis viris notitiam, tam sanctae operae faventissimis, et auctoritatem apud omnes; praecipuis autem sumptibus rem tantam peragebant praefactor(um) ill(ustris)simor(um) senator(um), episcopi et palatini Vilmensis, sed in universum tam felix fuit, ut ab illo duntaxat nil acciperet, a quo non peteret. In uno itaque anno, materiam... artifices conduxit, et statim eodem anno aliquot cellas exaedificavit, tum pro se, tum pro illis, qui secum ingressi fuerant, numerum autem decem, omnes quicumque duntaxat iuvenes excepto archimandrita inveniebantur, no(n) excedebant. Inter quos fuit ille Iosephat, de quo supra, servus Dei et martyr, post modum archiepiscopum Polocensem ageret, de quo alibi et saepius infra, quibus loculi angustiis inclusus, Deo solo(!) vacare coepit, secundum instructionem PP. Societatis, qui saepius illum adibant, et vicissim Iosephus illos. Interea vero reliquam domum pro rei exigentia et eleemosynae cursu prosequabatur, ita tamen ut in dies domus ampliaretur et iam ipsum ordinis initium, alios ad se allicere videretur.



## Caput 19.

*Iuvenes colligit pro religione.*

Domum iam capatorem nactus et videns mensem(!) multam. operarios autem plane nullos, inito cum PP. Societatis consilio cum studiosis concontraxit familiaritatem, ad suam religionem invitat, sed et optimi Patres in eundem concurrentes affectum. ipsi studiosos ad eandem Rhusiae opem ferendam ferventius exhortantur, ita ut brevi tempore insignis nobilium iuvenum manus concurreret et habitum monasticum susciperet. Hic iam Iosephus a Deo ipso brevi tempore edoctus, magistrum novitior(um) agere coepit, lectiones pro captu singulor(um) praelegere idque tam Latino idiomate, quam Sclavonico. Res enim moram pati no(n) videbatur, sed D(omi)no Deo reliqua commendans simul et semel et spiritualibus et humanioribus litteris duxit imbuendos novitios, ad opus quam primum eosdem maturando. (p. 587v) Sciens autem longum iter esse per praecepta, breve per exempla, exemplo optimo domesticis praelegebat. Quotidie cum illis in choro, meditatione, refectorio frugalissimo et recreatione religiosa, examine conscientiae praesens. Ultra perpetua a carnibus abstinentia, ieiuniorum observantissimus, potus cibique parcissimus, disciplinis fere quotidianis deditus, cilicio semper indutus, cingulis ferreis frequens praecinctus, humi pro somno stratus, in longam noctem oratione vacans, lectionis Patrum plane mancipium, ita ut illi aliquot annis insignem rerum spiritualium peritiam acquisierit, ac spiritualissimos quosque exequarit. Vitae etiam religiosae cultor eximius, ut perfecti religiosi specimen ab omnibus venerabatur. Quo factum, ut homines frequentiores ad ecclesiam SSS. Trinitatis convenirent, Sacris adessent, conciones audirent. Hoc ad calcem capitis addi potest, quod licet archimandrita no(n) esset Iosephus, tamen a monachis non alio censebatur nomine, quam pater noster, quasi per antomasiam non aliud illi pro cura paterna, quam patris nomen deberetur.

## Caput 20.

*Samuel archimandrita occulte unitos religiosos iuvenes vias suas ire iubet.*

Archipraesbyter Vilnensis circa annum 1608 cum omnibus praesbyteris ecclesiarum Vilnen(sium) ritus Graeci et cum illis archimandrita praedictus molliti defectione a metropolita Hyppatio ad schismaticos, Iosepho dolose persuaserunt, ut discederet Vilna ad locum quendam, viginti leucis distantem, in eum finem, ut Iosaphat abstraheretur a Iosepho. Licet enim tunc Iosaphat adhuc diaconi officium exerceret, tamen quia ab omnibus pro magno servo Dei reputabatur, propterea singulare in hoc studium posuerunt schismatici, ut eum ad suas pertraherent partes. Et cum Iosaphat obiiceret illis, Iosephum iturum contra et impediturum conatus ipsor(um), „Modo tu, Iosaphat, sis nobiscu(m)“ — responderunt — „habemus modos Iosephum Vilna expediendi“. Cumque hanc a Iosepho separationem instantius urgeret Samuel, Iosaphat acerrime impetui contradixit, eamque ob causam ictum colaphi gravissimum accepit ab eodem. Interim discedit Samuel ad praedium monasterii Koczyc dictu(m), tribus duntaxat leucis Vilna distans, Iosaphat autem com(m)endat, ut religiosos iuniores, quorum Iosephus manuductor fuerat, expediret ad illum locum, ubi ille tunc versaretur. Iosaphat in angustiis tunc demum constitutum se esse animadvertit. Ab una enim parte verus obedientiae filius iussus superioris sui exequi obligatum se esse putabat, ab alia schismaticos occupaturos monasterium et se in multas difficultates coniiciendum suspicabatur. Inops ergo consilii Iosaphat convenit patres Societatis Iesu sibi familiarissimos. Statum rerum monasterii exponit sui et consilium, quid in hac parte agendu(m) esset, requirit. Decernunt patres eodem die expediendum tabellarium ad Iosephum, suas litteras scribunt et Iosaphat scribere iubent, non nominando in particulari quid esset, sed generaliter esse in discrimine res monasterii, ut nisi quam primum accederet Iosephus, actum futurum de

illis. Qui his acceptis litteris nulla interposita tanti molli mora retrogradu(m) ingressus est iter. Et licet eadem die iam existentem in via febris eundem invaserat et amicus, ad quem diverterat, reditum suaserat, perexit tamen ipso Deo instigante. Quando in conspectum Vilnae venit tertiu(m) iam habens febris illius paroxysmu(m) „Te Deum laudamus“ dum recitat, febris liberatur, atque ita debilis licet sanus tamen, monasterium ingreditur, cui Iosaphat ordine recenset omnia, quae in absentia inter illu(m) et archimandrita(m) versabant(ur). Eadem ipse die redit e praedio archimandrita, sciens nihil de adventu Iosephi, invehitur in Iosaphat, quod prout illi ordinatum fuerat, religiosos iuvenes Vilna non expedierit ad Iosephum. Subiecit Iosaphat, etiam patrem Iosephum rediisse. Qua inaudita territus acceleratione, Samuel supersedit, Iosaphat molestando et Iosaphat, cum archimandrita tum suspecto conversando caute in eodem, sed Iosepho omnes uniti monachi iuvenes strictissime adhaeserunt. De communi autem consilio citat Iosephus archipraesbyteru(m) et Samuele(m) archimandrita(m) leucis 70 (p. 589) Vilna distantem. Iure victus est de illa occulta monasterii, monachorum unitorum proditione, non tamen honore privatus Samuel, nihil quippe unde manifeste convinci posset haecusque schismaticis emulgatum. Quia tamen erant sufficientes futurae proditionis suspiciones, Hippatius Iosephum creat in suum generalem vicarium, eo tunc ut tam archimandritae, quam archipraesbyteri, caeterorum sacerdotum Vilmensium ritus sui fidelitati invigilare.

#### Caput 21-mum.

##### *Insignis constantia monachorum iuniorum in s(an)cta unione*

Tandem cum iam virus schismatis alte radicaretur in corde Samuelis, schismaticum se esse professus est, hunc in modum. Antiquissimus ecclesiae usus obtinuit, ut sacro s(a)nctae missae sacrificio in offertorio et post consecrationem Corporis et

Sanguinis Dominici clara et elata voce celebrans faciat mentionem superioris sui legitimi hoc modo: Orthodoxiam magni regis nostri N. et archiepiscopi N. commemoret Dominus in regno suo coelesti. Inprimis memento Domine papae, patriarchae, archiepiscopi, episcopi N., quem dones sanctis tuis ecclesiis in pace integrum, honorabilem, in longa incolumitate, orthodoxe profitente(m) verbum tuae veritati(!). Samuel ergo cum esset in dioecesi metropolitana, per consequens semper debuit fecisse et faciebat mentionem Hyppatii archiepiscopi. Accidit ergo, ut quadam die sabathi celebraret missae sacrificium et tempore illius commemorationis, memento archiepiscopi omisit. Quid hic faciant iuvenes religiosi catholici? Forte fortuna tunc illi quidam e iunioribus monachis recenter ab Hyppatio metropolita in diaconos ordinati inserviebant, hi audita superioris sui defectione, sacro habitu deposito non sunt progressi ultra celebrando cum extremo Samuelis dedecore.

#### Caput 22-dum.

##### *Dolus schismaticorum in necem Iosephi conspirantium.*

His aliisque de causis in furorem actus uterque archimandrita scilicet et archipraesbyter, coniurationem faciunt cum schismatica suorum asseclarum congregatione contra Iosephum eiusque socios religiosos, atque ita quendam diem Dominicum designant, quo omnes unitum schismatici templum SSS. Trinitatis debebant convenire ad matutinm, ibidemque quando prodire debuerat Iosephus et alii sacerdotes ac diaconi monachi sacris vestibus induti in medium templum iuxta consuetudinem ecclesiae ritus Graeci cantatum doxologiam, debebat plebs violentas manus inferre Iosepho, Iosaphat aliisque religiosis, si illos defendere vellent et de medio tollere. Innotuit scelestus hic sacrilegorum animus quibusdam e magistratu Vilnen(si) catholicis per quendam famulum praetoris catholici, deferunt hoc ipsi ad collegas suos consules, isti ad officium castrense,

nempe ad vicepalatinum, hic ad ipsum palatinum Vilnen(sem) principem Nicolaum Radziwiłł, de quo infra. Palatinus tunc absens monet per litteras Iosephum de schismaticorum machinationibus, et archimandritae ac praesbytero praecipit ne quidquam tentent contra monasterium SSS. Trinitatis sub poena capitis. Denique scribit magistratui civitatis, ut videant, ne a plebe ipsis subiecta quidquam mali unitis subveniant, extunc armatur civitas in plateis, circa monasterium positae excubiae, reliqua manus armata in arca praetorii inclusa tenebatur, in praetorio autem totus magistratus civitatis per integram illius sabathi noctem vigilabat, arx etiam suos satellites adornavit. Et postquam insonuit campana apud ecclesiam SSS. Trinitatis post mediam noctem convocans ad matutinum, armatae cohortes venerunt tam e praetorio, quam ex arce, atque ita in illa die peracta sunt omnia pacifice. Quam autem Iosephus iam tum paratus fuerat pro... suis animam ponere, vel hinc constat, quia postquam... hac in vitam suam conspiratione, praetorium adiit... sua inscripsit monasterio paratum se mori. Protest... ut mortem suam nullum ius, de nullo vindictam su...

### Caput 23-tium.

#### *Generalis schismaticorum conspiratio contra unitos.*

Hac pessimae intentionis schisma delusum arte, coeli favore speciali sanctam unionem in radice ipsa protegente, per multos dies nocturna diurnaue consilia cum suis (p. 589v) agitabat, ut tandem prodirent in apertum. Primum itaque iuramentum in ecclesia quadam induiti sacerdotalibus pseudopraesbyteri, conceptis verbis praestiterunt, proinde protestationes in diversis subselliis fecerunt, quibus iam priori deposita larva, palam professi sunt, se obedientiae metropolitae Hyppatio valedicere, eo quod se subiecisset Romano pontifici, denique omnes ecclesias Vilnenses Rhutenas et ipsam cathedralem cum curia metro-

politana eidem adiacente occuparunt. Ad omnes civitates et oppida in Magno Ducatu Lituaniae miserunt suos, magna usi celeritate et ad defectionem a metropoli perduxerunt.

Caput 24-tum.

*Samuel exauthoratur. Iosephus in archimandritam Vilmensem creatur.*

Hoc apertae prodicioni percitum... Samuelem et iam re ipsa a se legitimo pastore defecisse considerans, Hyppatius et decreto suo et autoritate pastoralis eundem ex monasterio Vilmensi SSS. Trinitatis caedere(!) iussit et simul legis(!) omnibus, quae tum Wilnae agebantur sacram r(egiam) m(aiestatem) reddit certiore, supplicans ut archimandria(m) conferat Iosepho, per speciale suum s(acrae) r(egiae) m(aiestatis) privilegium scriptum factum. Hoc accepto privilegio optimus pastor evocat ad se Iosephum septuaginta leucis distantem et in archimandritam consecrat. Qui etiam cum in mora gravissimum esset periculum, recta petens Wilnam, monasterii adiit possessionem anno 1609 in principio cum extrema et schismaticorum confusione, et religiosorum unitorum consolationem(!), cum iam et patrem et pastorem illum nacti essent, qui non solum illos a propriae ubere substantiae lactaverat, verum etiam a mortali vitae vulnere pavisse paratus fuerat. Econtra pseudoarchimandrita cum pseudoarchipraesbytero Vilmensi huc illucque oppida et castella, iam litteris, iam personis oberrantes eo rem perduxerunt, ut in comitiis regni generalibus, quae eodem anno 1609 celebrabantur, obtinuerit constitutionem unitis tunc absentibus, ut inter unitos Ruthenos disunitosque pax servetur et quilibet possideat in posterum, quod nunc possidet. Atque si una pars alteram in hoc infestaverit, citata ad Tribunal Compositi Iudicii decem millia florenorum solveret. Hic porro iam ultimam rabiem mollitur Samuel, dolos et artes machinatur, quibus viam ad monasterium SSS. Trinitatis sibi legitime praeclusam per fas et nefas aperiret, triplici itaque usus cuniculo, illud pessi-

mum propositum animi ad effectum deducere attentavit. Imprimis itaque praedictae innisus constitutioni, pseudoarchimandrita insperate per suos sequaces primam monasterii occupat partem (portam?) Iosepho tunc cum suis ad mensam in refectorio sedente et frugali prandio hospites excipiente, N. Buyurd nobilis ille fuerat cum regiis... qui de mandato regio monasteriu(m) SSS. Trinitatis Iosepho tanquam... archimandritae privilegio iuridice secundum antiquam per abusum introductam consuetudinem traderent. Nunciatur Iosepho hostes venisse portam monasterii et cellas contiguas occupasse. Egreditur cum opportunis hosp... tantam perstringit audaciam, brachio adiutus regio, hostes exced... potentia fretus Divina expellit, portam claudit, laetum solitum... Te Deum laudamus. Hac ipsa die paralyti tactus Iosephus fuerat... dol... praevalente supra tantae Schismaticorum audaciae perversitatem, qua quidem... affectione illa superior per continuos, quibus supervixit viginti et aliquot... Conf... sine express... raculo de qua... Hac spe delusus Samuel, aliud iniit occupandi monasterii consilium mille hominum stipatus agmine recta(!) processit ad ocupandum monasterium SSS. Trinitatis. Erat dies illa 9 martii secundum vetus anno 1609, quo die ecclesia celebret festum Quadraginta Martyrum. Iosephus cum suis in choro ecclesiae sacris vacabat cumque iam esset finitus totius officii cursus, ex ecclesia reddit ad monasterium contiguum. Et ecce in coemeterio millenam reperit manum. Comitatus vero fuerat cum aliis Iosephum Iosaphat, fidelissimus comes. Advertentes pastores lupos venientes verbis duntaxat aliquos eodem compellarunt, ita demum percullerunt, ut tanquam exercitu persequente turpissime aufugerint omnes usque ad unum. Iosephus oclusa coemeterii porta cum suis laetum cecinit „Te Deum laudamus“. Atque ab illo die usque ad hodiernum praedictum SS. 40 martyrum festum gratissima recollit memoria monasterium SSS. Trinitatis et omnes monachi eiusdem congregationis. His secundis arietibus a muro domus Dei depulsis, iam tertio cassas virus ultimum exerit vires. Citat Iosephum Samuel et Hyppatium de ereptione monasterii Sanctissimae Trinitatis. Archipraesbyter etiam citat

de praepeditione in libero exercitio ad... constitutionis (p. 591) comitalis, de qua supra. Hyppatius quoque et Iosephus eosdem aditant, tam de ereptione ecclesiarum metropolitae subiectarum, quam de praepeditione in possessione archimandritae(!), Iosepho per privilegium s(acrae) r(egiae) m(aiestatis) collatae cum hac tamen iuris formae differentia. Quia schismatici citarunt Hyppatium et Iosephum extra forum competens, nempe ad Tribunal Regni Saeculare, cuius iudicio personae spirituales non poterant subiacere, Iosephus vero et Hyppatius citarunt antagonistas ad Tribunal Iudicii ut dicitur Compositi tam ex saecularibus, quam spiritualibus. In termino ergo Tribunal Saeculare, quod per summa(m) schismaticor(um) factionem, maxima a parte haeretici et schismatici tunc constituebant; adiudicavit schismaticis ecclesias et archimandriam Samueli, Hyppatium vero iure et titulo metropolitae spoliari(n)t. Tribunal vero Compositi Iudicii propter paritatem votorum pro more patriae latam causae decisionem remisit ad se. Interim Deo sic disponente venit Wilnam serenissimus rex, iturus Moschoviam ad recuperandum Smolenscum, cuius adventu res unitorum meliori loco esse coeperunt. Samuel enim obtenta hac Iudicii Saecularis sententia iuridice ut sibi videbatur ad occupandum monasterium procedit, toto vulgi schismatici effuso agmine. Serenissimus hunc disordinem audiens, aulicos suos et satellites ad defendendum monasterium mittit totaliterque impedit, iudicat etiam causam hanc gravissimam ad se remissam. Decretum Tribunalis Saecularis annihilat, sententiam vero iudicum spiritualium in toto approbat, ecclesias omnes Hyppatio subiicit, archimandriam Iosepho adiudicat, decem millia pro praepeditione, secundum constitutionem praedictam, solvere iubet, regiam suam cohortem Hyppatio addit, ecclesias potentia sua regali schismaticis eripit, legitimo pastori, restituit, pseudopresbyteros pene Civitate pellit et silentium omnino indicit, atque ius supra omne(!) clerum ritus Rhuteni plenum ac plenarium Hypatio confert. Tum demum unio sacrosancta caput extulit coelo gratum. „Te Deum laudamus“ tota civitate in ecclesiis decantatum.



## Caput 25.

*Hypatio metropolitanae digitos manus sinistrae amputat schismaticus in medio foro Wilnensi.*

Haec serenissimi Sigismundi III in favorem unitor(um) sententia eo rabiem perduxit schismaticor(um), ut iam in caput Hypatii metropolitanae aperte coniurarent. Inito ergo consilio quendam suae mollitionis instruunt executorem (e militia pedestri cuiusdam senatoris tunc absentis ille fuerat) et propositis mille in terra et in coelis praemiis, iuramenti obligant sacramento, ut qua posset arte interimere Hypatium, interimeret, ad radicem scilicet unionis securim apposituri. Atque instructum dimitunt iam animo parricidam, qui observans vias et vicula, per quae mos fuerat Hypatio transeundi, certam in hanc tanti sceleris executionem diem destinavit. Mense ergo augusto, die 12, anno 1609 sicarius ille in medio foro Vilnensi metropolitanam, virum septuagenarium, stipatum tam ecclesiasticis, quam saecularibus familiaribus suis satis multis, inter quos etiam fuit Iosephus archimandrita, a fronte aderit gladium, quem in hunc finem nudum sub veste occultabat, in collum vibrat tanto impetu, ut uno ictu digitus ferme tres manus dextrae, quam huic impetui senex cum baculo, cui innitebat(ur), obiecerat, amputarit anulum et saphyrum annuli lapidem et catenam auream duplicatam satis crassam, e qua... crux archiepiscopalis collo dependebat, vestes etiam et interulam secuit, signo tam rubro in corpore relicto sine ulla colli laesione. Quo ictu accepto bonus pastor in terram corruit, cui Iosephus super incubuit, morte sua ut filius vitam patris redempturus. Invasor interim ille sacrilegus a familia metropolitana iam vulneratus capit(ur) et carceribus praetorii mancipat(ur) et in crastinum ultimo supplicio affectus. Hypatius sanguinolentus in domum propinquiorem cuiusdam principalis senatoris receptus et ab omnibus, qui tum Vilnae aderant senatoribus visitatus, imo etiam per nuntios a serenissimo conventus. At Iosephus archimandrita digitos illos amputatos

arripiens in monasterium suum occurrit. „Te Deum laudamus“ laetus canit, eo quod sanguine boni pastoris semen Dominici gregis in amplam posteritatem prophetico veluti spiritu crescere providebat. (p. 591v) Dicebat subinde Iosephus iam metropolita, quod illo tempore omnes eius essent opinionis, quod illa sanguinis effusione omnes omnino Rhutenae unionis tum plane resurgentis difficultates fore auferendas, cum tamen Dominus Deus talem voluntarii palmam martyrii Iosepho reservasset, qua(m) ne quidem ambire poterat Hypatius, ut infra in suis locis intento veluti digito demonstrabimus.

### Caput 26

*Iosephus archimandrita religiosos suos in diversis Regni Poloniae locis, emendicatis stipendiis studiis applicat.*

Rebus unionis in tutiori statu iam collocatis ad iuvenes religiosos studiis informandos totum adiecit animum verus abbas Iosephus, sed cum videret domi suae nullum esse, qui illos institueret, se vero propter ecclesiae negotia nullo modo tam laborioso operi vacare posse, ad novum confugit medium. Iter ergo instituit in Poloniam, ubi zelantissimor(um) illo tempore catholicor(um) opem sibi certo pollicebatur, nec eum huius suae fiduciaefellit opinio. Calissii enim et Pultoviae insignem expertus est tum illustrissim(or)um episcopor(um), tum optimor(um) catholic(or)um, tum ipsor(um) patr(um) Soc(ietatis) Iesu, qui tantum in Iosepho zelum admirati, vel in seminariis episcopalibus locum providerunt, vel unu(m) e s(ancta) sua religione patrem destinarunt, qui stipem pro religiosis illis colligebat, ipsi hospitium conducebant, vestes procurabant, victum subministrabant. Memoria illor(um) in benedictione! Idem etiam in Lithuania fecit... Reli... sis Nesvisii. Atque ita pluribus annis hoc modo in illis locis iuvenes educabantur, donec philopophiae cursu absoluto domum revertent(ur) et optimos(!) in vinea Domini evaderent alibi theologia expedita.

## Caput 27.

*Iosephus suos religiosos in diversa loca mittit ad monasteria erigenda.*

Cum iam insignem crevissent numer(um) sui monachi, non est passus Iosephus lucernam hanc novam uno tantum Vilnensis) monasterii modio continendam, in aliis quoque locis semen s(anctae) unionis per religiosos mittendum decrevit. Erat illi talium et suasor et conauthor cogitationum Iosephat archiepiscopus) et martyr Polocensis). Hunc itaque mittit in districtum Słonimensem ad virum catholicum zelantissimum Rutenum bonae memoriae ill(ustrissimum) Gregorium Tryznam, patrem maximor(um) in Lithuania virorum, dum haec scribimus, ill(ustrissimum)mi supremi M(agni) D(ucatus) L(ithuaniae) thesaurarii, supremi referendarii, coadiutoris episcopatus Vilnensis), capitanei Brestensis) et Starodubensis). Ad hunc inquam destinat Iosephus Iosephatum, ut optimam illius dirigeret mentem. Aedificaverat ille in suis bonis Bythenium dictis monasterium monialium, eo quod filia sua (quae dum haec scribimus, abbatissa est Pinscensis) multar(um) virginum optima mater) religiosam vellet agere vitam. Dotis ergo respectu monasterium extruxit et ditavit. Iosephus cum Iosephat hanc piam intentionem alio evocarunt et sanctimonialiam illam Vilnam abduci curarunt et in monasterio sanctimonialium nostro collocari. Monasterium vero Bythenense) monachis tradi, prout et traditum est, et ab illo tempore in hodiernam diem novitatus inibi est unitor(um) religiosor(um). Hac in re suo munere optime functus Iosephat, ad aliud iam gravius mentem applicuit opus. Praedicto Domino haeredi Bytheniensis) erat summa necessitudo cum vicino suo senatore M(agni) D(ucatus) L(ithuaniae) nomine Ioannes Moleszko, castellano Smolnensis) si, viro nobili et opulento, sed schismatico. Hic saepius conversatus cum Iosephat, primo quidem morum captus probitate, deinde doctrina convictus s(anctae) unioni manum dedit. Iosephat confessus est, SS. Sacramento ex manibus

eiusdem refectus, eoque zeli processit, ut illum induceret, ad aliud iam monasterium erigendum in bonis suis Żyrovicen(sibus), tribus leucis Bythenio distantibus, ad ecclesia(m) quandam desolatam quidem illam, sed miraculis antiquitus notam, ubi nunc et monasterium unitor(um), cum insigni sua ecclesia situm est et miraculis longe celeberrimus locus est. Hic ergo iam alium (p. 593) fixit pedem Iosephat, cum insigni gustu Iosephi, qui intra aliquot annos in talem numer(um) suos filios crevisse gaudebat, ille duntaxat uni intentus, ut in dies iuvenes s. religioni apponerentur, prout etiam apponebantur collaboratore Iosephato, qui rebus optime compositis Bythenen(sibus) et Żyrovicen(sibus) et superioribus aliis praepositis rursus reversus est Vilnam. Sed et alia occasione Iosephus misit suos Novogrodecum et Minscum religiosos, qui monasterium(!), quae nunc habent uniti insignia quoque incerunt(!) fundamenta cum maximo animarum illius oppidi lucro.

### Caput 28.

#### *Iosephus miraculose sustentat suos religiosos.*

Multiplicatis in suo monasterio personis, Iosephus cum suo patrimonio par non fuit sustentando, mendicare ergo illum oportuit pro suor(um) victu et vestitu, quin imo fabrica quoque monasterii, quae minus capax iam fuerat tantae multitudinis, sed quoniam Dominus Deus suos servos tanquam aur(um) in igne probat defectibus corporalibus, Iosephum etiam cum suis saepius magnu(m) pati permisit rerum temporalium defectum, ita tamen ut de rigore religioso nec quidquam remitteretur. Cumque iam domi nihil haberetur, subinde accidebat, quod personae ignotae veniebant ad illum et insigni eleemosyna data disperebant. Nec illud infrequenter, quia currus pleni victualium mittebantur, sed mittentis nomen non revelatu(m). Ita scilicet cum deficere videbatur causa secunda, vigilabat causa prima, multiplicans annonam propter servos suos Iosephum et Iosephat.

## Caput 19(!)

*Novo modo liberat a tentatione religiosos Iosephus.*

Inter caeteras divinitus illi collatas dotes donum consilii Spiritus S. abundantissime eidem infuderat. Hinc nullus e suis religiosus non consolatus et animatus ab illo recedebat, sed illud novi spiritualis remedii contra tentatione(m) argumentum. Quidam e suis venerat ad reddendae conscientiae rationem pro more religioso, sed dicebat se vehementer pati in casu certo tentationum. Iosephus dabat illi diversa spiritualia consilia, sed cum se nihil videret proficere, denudat se usque ad umbilicum et tum tentato virgas dat et sub obedientia iubet tam diu se caedi, quam diu tentatio illa duraret. Dictum factum. Sanguis uberrime fusus usque dum dolor sui corporis in se esse(!) medicina doloris animi in alio. Quamquam ordinarium fuit Iosepho usque et ad senectam, ut vel duobus fratribus vel cubiculariis suis, vel uni illor(um) virgis corpus suum caedendum usque ad sanguinem abiiceret. Hinc multi ex familia sua hoc vel unico exemplo inducti, religionem ingrederentur. Aliquando vero in memoriam Christi Iesu ad stipem flagellati, se quoque faciebat ad columna(m) vel arborem aliquam alligari et sic usque ad uberem sanguinis effusionem virgis caedi.

## Caput 30.

*Donum prophetiae in Iosepho.*

Ita praedictionis et prophetiae dono instructus videbatur Iosephus, ut vel timendum vel sperandum omnino fuit, in quo ille vel praecaveret vel moneret suos. Accidit forte fortuna, ut anno 1610 veniret Nesvisium visitatum suos religiosos, qui

cura illius ibidem studebant, et cum in ecclesia PP. Soc(ietatis) Iesu choro flecteret, ad(!) sacr(um) ad maius altare celebratum audiret, puer quidam nobilis fere duodennis sacro ministrabat; interrogat patres, quod esset puero nomen; dictum illi, ille vero statim dixit, iste puer ingreditur meam religionem. Patribus mirantibus, quia ex haeresi puer ille Calviniana ad fidem Catholicam in ritu Romano recenter conversus, nil minus quin religionem et vel maxime Rhutenam cogitabat. Tandem anno 1620 idem ingressus est religionem, in qua et modo vivit. Cui etiam post ingressum in religionem et professionem idem Iosephus dixit, se tum temporis et dixisse et Spiritu vidisse, illum suam ingressurum religionem et propterea particulari illum (p. 593v) affectu prosequabatur semper tanquam filium spiritualem divinitus sibi promissum. Quadam vice mensae assidens in praesentia unius e suis religiosis et tribus e sua familia habita certa occasione dixit, hoc anno unus ex nobis quinque morietur. Ita accidit ut praedixit, unus enim ex illis tribus familiaribus intra medium annum mortuus est. Anno 1627 aegerrime valuit Iosephus dum esset in Volhynia Chelmae, Vilnae sparserunt rumorem de morte Iosephi. Tum Iosephus: Scribas, inquit, Vilnam, ut no(n) nisi post decem annos de morte mea quaerant (sic!). Ecce vates non vanus, anno enim 1637, februarii 5 mortuus. Anno 1636 ultimam religiosorum celebra... Vilnae, in ultima exhortatione dixit, se iam... ingressur(um) congr(egatione)m relig(iosa)m, quia inquit mori... Illud quoque hoc in passu, suam habere potest considerationem. Ordinarium Iosepho fuerat iuveni aequi(!) et seni, ut palam diceret se extra domum et in itinere, quin imo bovis instar, vigum(!) trahendo se moriturum, neque ullum post mortem suam spoliolum aut iniuriosam suppellectilis direptionem futuram. Secutum est ut praedixerat factu(m). Plane est in media peregrinatione extra domum centum fere leucis (ut infra dicitur) mortuus. Totam suppellectilem intactam familia eiusde(m) coadiutori suo legatam advexit.

## Caput 31.

*Hypatius Iosephum consecrat in episcopum et pro coadiutore suo cum futura successione. Privilegium regium in personam eiusdem expedit.*

Talium donis talentor(um) motus Hypatius Iosephum in episcopum Halicien(sem) consecrat, muniis spiritualibus per totam Lithuaniam in ipsum translatis, ipse vero in Volhynia, ubi episcopatum Vlodimirien(sem) simul habuit, sic dispensante summo pontifice Clemente VIII mendum(!) sibi in se nec tuto duxit (sic!) Atque pro maiore Iosephi autoritate et in officio securitate apud serenissimum Sigmundum III privilegium coadiutorale expedit, ill(ustrissi)mo Benedicto Woyna episcopo Vilnen(si), de quo supra, in id omni conatu incumbente, ut tota metropoleos provincia Iosepho demandare(tur). Tanto munere sibi delato Iosephus totus archidiaeceseos amplissimae se dedit visitationi, synodum quotannis metropolitanam celebrando, sacerdotes consecrando, fidei catholicae imbutos sacramentis schismaticos parochiis expellendo, oppida et villas oberrando, ecclesias dedicando, magnates et nobiles Rhutenos conveniendo, hos confortando, illos a schisma(te)ci(!) revocando, ita ut schismatici publice excommunicationis fulmine ferirent suos, qui cum Iosepho et Iosephat suos(!) Achate conversare(nt), eo quod is demum s(anct)ae unioni manus non dedisset, qui cum illis unquam conversatus fuisset.

## Caput 32.

*Zelus Iosephi episcopi in lucrands animabus.*

Et licet omnibus commissae sibi provinciae ovibus invigilaret Iosephus, Vilnen(sibus) tamen incolis s(anct)ae ecclesiae apponendis maximum adiecit studium. Hinc illi cum quibusdam Marte aperto dimicandum fuerat disceptando, cum quibusdam arte utendum mille officiorum (artibus) <sup>a)</sup> (sic!) gessenribus (sic!) demerendo, cum quibusdam patris in morem procedendum su-

stentando, cum quibusdam denique patroni modo agendo, causas in iudicio promovendo. Quibus omnibus modis et mediis magnam incolarum partem in ecclesiam nostram pertraxit. Accidit vero quodam tempore, ut quidam schismaticorum primarius illum conveniret, cum quo iam illi alias summa lis intercesserat disputando et quaerente eodem, utrum ne vellet iuramento corporali confirmare, se certissimam salutem consecuturum in fide s(anctae) R(omanae) e(cclesiae). Quid hic Iosephus? Erepto obvio libro s(ancti) evangelii in genua procumbit, iurat nullum posse salvari extra unionem, unitum nullum posse damnari, supposita vita christiano tamen digna. Quo heroico pastoris actu extunc convertit schismaticum virum, dum haec scribimus, (p. 595) catholicissimum et aliquot ecclesiarum fundatorem. Eo plane tempore Meletius Smotricius,<sup>a</sup> schismatis virus, libros edendo radicabat Vilnae, qui post modum ad s(anctam) unionem conversus archiepiscopus Hierapolitanus nuncupatus est. Cum illo Iosephus iam publicis disceptationibus, iam privatis colloquiis, iam libris in lucem pro s(ancta) fide catholica editis summa intercesserat negotiatio. Iosephus itaque sub titulo alterius, libro in defensionem (sanctae) unionis edito, ita confudit Meletium, ut nunquam posset respondere argumentis Iosephi, donec tandem eidem confiteretur et sanctissime obiret Dermani in Volhynia anno 1635. Sed en pastoralis vigilantiae zelum: Insignis civium et mercatorum Vilne(nsium)... Antonius Kulaha nomine. Neophytus unitus in agone plane apostata... Schisma reversus, iam iam schismaticis et bona inscribit. Aud... iurat se non comesturum nisi ille convertatur et vivat... cellae... disciplinis vacat, tota fere nocte in crastinum vocantur Un... Sed illa notatu et aeterna digna memoria Iosephi disputatio anno circiter 1610 cum Leontio Karpowicz, pseudoarchimandrita Vilnen(sis) SS... qua aliquot diebus sumpti, quia illa peracta ita confudit, ut... principales schismaticos converterit, qui vel sanctissime mortui, vel unitissimi vivunt.

---

a) Verbum in textu litura sublatum est.



## Caput 33.

*Iosephus episcopus regulas S. Basilii in compendium redigit et aliquas constitutiones pro religiosis a se educatis ordinat.*

Sciens Iosephus bonum patrem familias decere non modo ut commodam curet domum, in qua ipse habitet, sed quae etiam posteris reli(n)quat. Novum sibi opus et quidem satis laboriosum assumpsit. Adverterat ille ex ipsa experientia et continua SS. Patrum lectione didicerat regulas S. Patris Basilii, sui ordinis monachis servientes, non modo regulis eiusdem fusius breviusque disputatis contineri, sed in diversis quoque sermonibus spargi in unum volumen summo labore et gratissima methodo redigit, ut omnia quaecunque sparsim in Sancto Patre reperirentur, de obedientia, paupertate et castitate, itemque de vitae co(m)muni officio, abbatis, prioris, oeconomi, sacerdotis et omnia suis distinctim capitibus ordinaret. Et insuper aliquas alias constitutiones bonum monasticae vitae ordinem concernentes adderet, collatis signis cum praecipuarum religionum insignibus, viris sui studii et zeli amantissimis. Quinimo speciales ex SS. Patribus collegit regulas, vitaeque normam ipsi metropolitae, episcopis, abbatibus deservientem praescrispsit. Apis scilicet in morem per diversa SS. Patr(um) prata circumvolitans mel colligebat et in alveare primo quidem pectoris et intimi affectus sui recondebat, deinde ad co(m)munem suorum utilitatem in favum voluminis referebat ad animos suorum et oblectandos et satiandos.

## Caput 34.

*Iosephus paralyti tangitur sciatica et calculo, mira eiusdem in his omnibus patientia.*

His dum toto studio indefessa tanti viri invigilat industria, voluit Dominus tanquam alterum Iob eiusdem probare constantiam. Ultra illam domesticam occupationem frigoris perpes...

propter paupertatem ciborum vilissimorum usum, continuis viarum distrahebatur discommodotibus, in negotiis sibi a suo coadiuto commissis, nullo habito respectu, imbrium et frigus(m), neque contra haec se obarmans pellibus pro more patriae. Hinc dum quadam vice discederet Varsaviam occasione comitiorum, in quibus lis erat inter unitos et schismaticos, hyeme summa et frigore intensissimo, renovata illa est paralysis in parte sinistra, de qua tactus sciatica in pede dextro et calculo: quae omnia satis illi fuerant ad lecto efficiendum. Nunquam tamen his tantis (p. 595v) de causis decubuit, sed labore continuo illis eundem contra omnino sibi duxit, somni parcitate decertabat inedia et ieiuniis perpetuaeque carniū abstinentia, potus exiguitate, ita ut usque ad senium, inter prandium et coenam nec biberit nec dormierit, unquam etiam vel calor aestivus illud dissasserit(!) vel fatigatae continuis laboribus et doloribus vires huic voluntario martyrio obmurmurarent. Et quod caput est, his omnibus tanto conatu resistebat continuis aliquot supra viginti annis, ut miraculum videretur, tantae vitae in tantis doloribus prolongatis, et cum dissuaderent sui illius amantissimi, ut labori parceret, domi se contineret, victus rationem mutaret, deridens suis dicebat: Ergone ita vos erga patrem gratos monstratis, ut infelicem hanc in hoc mundo peregrinationem prolongari optatis. Vivam tantum, quantum me Deus pro bono ecclesiae vivere ab aeterno constituit; de modo autem vivendi eodem iuvante non mutabo. Domine Deus, tu scis, quia nolo vivere in hoc mundo; nolo, nolo. Tantam ex tanta necessitate fecit virtutem.

### Caput 35.

*Hypatius moritur. Serenissimus Iosephum declarat in metropolitam; eiusdem Vilnam ingressus.*

Interim Hypatius metropolita annis et senio confectus, moritur Volodimiriae anno 1613, iulii 18. Iosephus cum iam suo parentasset ibidem coadiuto, serenissimum convenit et ab

eodem statim declaratus est metropolita. Qui secundum antiqua metropolitana privilegia Vilnae in Lithuania possessionem sui archiepiscopatus adiit anno 1614 in Vigilia SS. Petri et Pauli secundum vetus, maximo catholicorum gaudio, qui toto affectu ad talem festivitatem concurrebant. Caput omnium fuit praefatus piae memoriae episcopus Vilmensis Benedictus Woyna, qui assistente suo r(everendissimo) suffraganeo nepote, qui nunc, dum haec scribimus, agit illustrissimum episcopum Vilmensem... introduxit Iosephum et usque ad cathedralem Beatis-simae Virginis ecclesiam processionaliter deduxit, ita ut tum iam triumphare videretur unio sacrosancta in M(agno) D(ucatu) L(ithuaniae) talem tantumque pastorem nacta, solum schismati(!) cum suis asseclis gemebat, eo quod hoc capite capita sua conterenda iam tunc ominaretur. Et ne monasterium SSS. Trinitatis aliquot(!) sui promotione pateretur incommodum, in archimandritam Vilne(nsem) servum Dei Iosephat reliquit dignum tali pastore vicarium, (p. 597) quem mundus non esset, (!) nisi mors martyrii postmodum subsecuta fuisset.

Integra folia et capita desiderantur.<sup>b)</sup>

Unionis adiumento ac incremento patribusque aliis affectum beneficiis dimisit eodem anno de insigni eidem providens viatico. Caeterum toto suae mansionis tempore Romae spatio trium mensium, cellae suae inclusus plane morabatur vel in monasteriis vel in hospitio et non nisi devotionis causa aliquam invisit ecclesiam vel negotiorum ergo aliquem convenit praelatum eaque(!) oculos raperent, quibus Urbs illa vel maxime abundet, nunquam videre voluit, etiamsi aliqui praelati id Iosepho persuaderent. Cum hominibus Deo unitissimis diversarum religionum dies integros exegit. A r(evere)ndo p. generali Soc(ietatis) Iesu, qui tum fuerat piae memoriae Claudius Aquaviva, obtinuit, ut duos ex sua societate patres provinciae Lithuaniae viros gravissimos assignaret, qui suorum novitio-

<sup>b)</sup> Sic stat in textu.

ru(m), quos tanto studio colligerat in monasterio ad hoc specialiter deputo(!) magistros spirituales agerent, prout et egerunt aliquot integris annis maximo bono sanctae unionis, donec tandem discipuli iam illorum adolevisent et in eodem munere digne successissent.

### Caput 3(!)

*Iosephus Roma redit et monasterium Novogrodense confirmat.*

His aliisque Romae persolutis de re suae metropoleos, domum rediit eodem, quo discesserat anno, ubi invenit lugubres domi suae threnos ob mortem matris suae, eoque magis sibi deplorandos, quoniam in eadem, in qua vixerat haeresi, decesserat. Licet non illius conversioni dictu vehementius Iosephus insudasset, quia tamen inveterato dierum fuit annoso(!) haeretica, quam impossibile fuit corrigere, a Domino iam reiecta, nil unquam piissimi illius conatus profecere pro eo, quo catholicum antistitem decuit zelo, neque exequiis illius adesse voluit, neque lugubri uti habitu, aut familia(m) sua(m) pro more patriae vestire. Porro autem, ut supra etiam insinuatam, rediit feбри aliquot mensis quartanna plus quam diei potest exhaustus, incommodis victus parcitate et perpetua a carnibus abstinencia, domi et foris, in loco et in itinere morbi vim adaugentibus. (p. 597v) Convaluit tamen non tam naturae et artis remediis, qua(m) solius Numinis ope dum iam in patriae confinibus esset atque ita sanus Dei gratia licet debilis, primo quidem serenissimum accessit Sigismundum III Varsaviae tunc agentem, deinde Rutam paternam venit, atque ibi tantisper substitit. Ubi statim totum adiecit animum ad monasterium Novogrodense, eius(!) prius iecerat fundamenta firmandum. Statim ergo illius commoditati areas fundi metropolitani inscripsit, atque magistris illorum alendis suae religionis totaliter monasterium Lauriszoviense, quod alias advitalitio possederat iure cessit.

## Caput 36.

*Primam generalem congregationem monachorum unitorum a se collectorum celebrat Iosephus.*

Dum his aliisque indefessa virium desudat industria, etiam per suos religiosos in pluribus locis sparsos insignem profectu(m) sanctae unionis vident(!) ab incepto fervore in reformandis suis religionis non desistens(!). Primam generalem congregationem indictis litteris instituit et celebrat in Lithuania in bonis suis metropoliis Nowogrodovice dictis, quo solos superiores monasteriorum evocavit, accitis in societatem laboris duobus patribus e Soc(ietate) Iesu viris gravissimis, tanquam in rebus ad formandos religiosos spectantibus veteranis. Gaudebat pius pater, iam e suis discipulis insignes magistros et vel maxime cum audiret, quali...

Plura desiderantur <sup>b)</sup>.

. . .

Attentaret, tum novis constitutionibus praecavet, tum scriptis ad serenissimum litteris et libello edito obtinet decretu(m), ne illi e suis ad alia et si... religionis castra transire liceat, quo maximo sua(m) vindicavit religionem periculo, dum illum pusillum gregem ita non timore docuit providus pastor, summa tamen lenitate in tanta suoru(m) levitate praecessit et licet delinquentes activa et passiva voce in religione privasset, tamen post modum ipse in hoc dispensans pro innata sibi comitate author fuit, ut iidem ad superioratus religionis promoverentur, prout et promoti sunt, non sine fructu unionis. Cum talis vexatio iam dederat intellectum, neque vero illud quoque minus cor Iosephi feriit, quia anno 1623, novemb(ris) 12, schismatici (p. 599) Polocen(sem) archiepiscopum Iosaphat Vitebsci pro s(anctae) R(omanae) e(cclesiae) defensione interemerunt, licet

---

<sup>b)</sup> Sic stat in textu.

enim in hac sui charissimi socii avulsione tam gloriosam mortem ut catholicus et theologus prae oculis semper haberet, tamen quia a nobili membro Rhutenae corpus ecclesiae viduatum considerabat et quidem tempore tam duro, cum et domi, ut dictum, et foris suae non deesse(n)t calamitates unioni, cor totum in quotidianas lachrymas resolutum, parentavit filio bonus pater, sed triumphavit socius, vel Iosephus in Iosaphat vel Iosephat in socio Iosepho, ita tamen ut ad antiphonas in illius martyrialibus exequiis deca(n)tatas, si subinde illo audiente canerentur, in lachrymas usque ad deliquium fere raperetur. Substituit eidem in successorem virum omni laude, qua doctrinae, qua pietatis instructissimum Antonium Sielava(m), archimandritam Vilnen(sem), Romanum theologum, quem iam destinarat in coadiutorem episcopatus Piscensis. Hinc et alii eandem detulit coadiutoriam, nempe Gregorio Michałowicz, archimandritae Minscen(si), viro aequo docto. Et quoniam turbata erant et mutata capita religionis maxime turbari debuit inferior religionis ordo, qui vel maxime Iosephum affligebat illis irrisionum discommodis, ita ut vulnus unum religionis vulnere defectum additum cor Iosephi gladio doloris pertransiret. Denique illud quoque auxit hanc providi pastoris calamitatem, quia unus e tyronibus suis religiosus ab eodem in successorem suum destinatus et a serenissimo Sigismundo acceptatus atque a sanctissimo approbatus, nomine Adrianus Podbereski ad summa quaeque natus, Roma absolutis studiis rediens morbo phtysico consumptus, obiit in statu Caesareo Tyrolino, Anno 1625, quem usque ad mortem omni occasione data lacrymis prosequebatur supra tanti boni amissione.

### Caput (!)

*In locum solitarium secedit atque ibi integrum semestre exigit.*

In hoc pio opere non impigre cum iam decennio laborasset et pro ea qua maxima excelebat humilitate spiritum si non evaporasse certe distractissimum redditum fuisse arbitratus

in solitudinem sibi secedendum duxit, et secessit circa annum 1635 atque integrum semestre sine ulla interruptione in eodem exegit loco omnibus aliis occupationibus valedicens. Elegit autem locum...

Caetera desiderantur <sup>b)</sup>.

Vidit collector huius operis et alia methodo eandem Iosephi vitam ab eodem conscriptam Raphaelae, quæ amplius non extat, memorabantur autem in ea quaedam heroica.

Scripsit etiam eiusdem vitam breviter r.p. Dominicus Ottolinus et hodierno s.d.n. Innocentio XI praesentavit, quem nondum ipse vidit collector, ubi aliqua insignia dicuntur addita.

Fit quoque non semel nobilis mentio quorundam factorum Iosephi in vita beati martyris Iosaphat, itemque in vita Meletii Smotrycki utraque a domino Iacobo Susza, episcopo Chelmensi conscripta et altera Alexandro VII, altera cardinali Francisco Barberino inscripta. Illud perquam memorandum quod in vita Moletii(!) legitur idemque notissimum est in patria nostra ac extat in contione reverendi patris Alberi Kortyscii Societatis Iesu, in funere Meletii dicta typisque mandata de brevi apostolico Urbani VIII absolventis Smotritium a schismate et excommunicatione et caet., quod breve post mortem iusserat inseri sibi in manum. Meletius quodque rigida iam prorsus manu fortissime strinxerat et deinde ad imperium Iosephi, qui post mortem ipsius advenerat palam in conspectu (p. 601) multorum hominum etiam schismaticorum dimiserat atque deinde iterum receptum constrinxerat.

Circumferuntur itidem non nulla certa certa fama, (sic!) quae hic tacet collector, quod non scribendi eius vitam proveniam(!) suscepit, sed repraesentandi ea, quae parata obviamque prae manibus habere potuit.

III. *Discursus Iosephi de instaurando ritu Graeco, cum adhuc in saeculo ageret tacito nomine proprio polonice conscriptus*

---

<sup>b)</sup> Sic stat in textu.

*atque ex m(anu)s(cript)o eius authographo latine redditus, ut sequitur.*

*Discursus Rhuteni cuiusdam de corrigendo regimine in ritu Graeco conscriptus Vilnae anno 1605 in ianuario.*

(p. 601v) Quemadmodum disordo in rebus politicis civilibus-que merito adscribitur moderatoribus eorum statuum, ita quoque in rebus ecclesiasticis adscribatur necesse est moderatoribus ecclesiasticis; illis enim dictum est, (Actor. 20): „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo“. Attendere sibi, ut ex ovibus lac, lanam percipiat, novit quisque, at attendere toti gregi, hic labor, hic opus est dignum expendendo. An ei maiores pastores nostri respondeant? Officium pastoris est curare gregi bona pascua, eum a lupis tueri, si quid in eo infirmum est, sanare, si quid periit, quaerere inventumque ad reliquum gregem deducere. Qui cunctis his non satisfacit, is bonus pastor non est, ac proinde si pereant oves eius, culpa est ac si sponte eas lupis ipsemet mactandas traderet. Nam quemadmodum si ovibus brutis pascua desint, necesse est, ut omnino aut fame pereant, aut coacta ipsi ea sibi quaerant adeoque disparentur per montes, valles, sylvas, ac denique lupis aliisque feris rapacibus in praedam cedant, ita quoque, si ovibus ratione praeditis pascua deficient, hoc e(st) doctrina de Deo officiisque christianis, aut per ignorantium(!) eorum, quae scire debent, pereunt, aut scire cupientes, ingerunt se in <sup>c)</sup> res ad se non pertinentes, assimilantes, se ex ovibus pastores, ex discipulis doctores, adeoque in haereses, ac schismata, aut minimum (p. 603) in procaces inanesque opiniones prolantur: id quod deploratis hisce temporibus inter nostros Ruthenos abunde spectavimus spectamusque adhuc, quo modo ad celerem interitum pergunt, remedium vero hactenus nullum vidimus cum nullus eos curet. Minores pendent ex maioribus, maiores nihil pensi habent, ac proinde omnes intereunt.

---

c) In textu verbum „ad“ litura sublatum est.



Inveniendō remedio primo causae morbi indagandae sunt, duabus vero ex causis hoc malum nostrum provenit. Primo ex defectu doctrinae in maioribus nostris, deinde ex defectu perfectionis sanctitatisque vitae. Cum enim superiores ecclesiastici verbo factoque docere teneantur iuniores, qui ipse nescit, quomodo docebit alterum, et quomodo aedificabit bono exemplo, qui sanctitate vitae ipse destitutus est? Quare duplex quoque medela curanda morbo nostro erit: doctrina et sanctitas vitae. In maioribus dona haec duo reperiebantur in ecclesia Graeca, ea floruit perque omnes regiones orientales, australes aquilonaresque late propagabat(ur) magno honore gloriaque(!) in conspectu totius orbis a Deo exornata. Inde prodierunt septem sancta oecumenica concilia, inde scripta diversa Deo acceptissimorum doctorum, quae quidem concilia patresque illos sanctos ecclesia quoque Romana habuit semper hodieque habet pro canone fidei; ibi perfecta vita monastica initium ac incrementa sua accepit, unde postmodum genus hoc vivendi in totum orbem profluxit, salutaribusque acquis(!) omnes viventes in terra refecit. Iam nunc quoque si haec duo commemoravimus, ad nos redeant, ecclesia nostra ad primaevum illum suum decorem regredietur.

Qui vero ii, qui iam sunt episcopi aegre transformari possunt, ideo illos ex quibus fiunt episcopi oportet ad exactum perfectae vitae tenorem quam optime formare. Si enim oblietur fons, aut aliud quodpiam vitium contrahat, idem necesse est in torrentem quoque derivari; etsi radix cariem sentiat, arbor etiam ramique ex ea procedentes vigorem amittant oportet, quamvis eas perdiligenter cures. Monachi Ordinis S. Basilii sunt illi, ex quibus iuxta canones Graecorum ad omnes praelaturas ecclesiasticas assumi debent capita. Quare si bonos velimus habere episcopos, curem(us) bonos religiosos, hoc est, curemus, ut religiosi nostri sint docti inque bene ordina (!?) ac perfecta vita interna religiosa bene fundati. Quarum rerum ne citra hoc tempore apud nos extat.

Quod ad doctrinam attinet, concedet quisque, quod huius defectu insigniter castiget nos Deus impletaque sit in

nobis poena illa Dei, quam ipse pro summa ponit: „Auferam ab eis sapientem (p. 603v) et doctum in lege“. Nulli sunt nedum hic in Rhussia, verum in ipsa media Graecia, et si quis sit, eum a Latinis habemus.

### De sanctitate vitae.

Etsi cum rubore, at vere idem affirmare cogimur, quod neque haec qualis debeat esse, sit. Exterior scilicet tantum ea sanctitatis imago est, quae in oculis simplicium apparet tanquam vera sanctitas, hoc est protensa frequentiaque ieiunia, proluxa operosaque officii Divini pensa, tot canones, tot prostrationes tam in ecclesia, quam in cella, cilicia, quies nocturna capta superstoria, parcus somnus, diversa ferrea stringendo afflictandoque corpori instrumenta et id genus aliae asperitates carni illatae. Quae bona quidem sunt, si ab interna sanctitate proficiscantur, aut sunt medium viaque ad internam sanctitatem, non tamen ipsa sanctitas. Signum rei huius est, quod cuncta haec usurpaverint gentiles quoque et etiam num usurpent Turcae Scitaeque. Diabolus vero plura his potest, ut magno illi sancto Antonio exprobrabat; nec tamen proinde sancti sunt, imo res eiusmodi saepe ad perniciem perducunt. Primo inflammando hominem occulta superbia, ut alios qui id non factitant tanquam imperfectos pensi pendant. Unde semper tales regere appetunt, non vero ab aliis regi. Secundo. Quando instigante diabolo asperitatum eiusmodi immoderato usu sese interimunt, aut languorem invalentiamque contrahunt, ut deinde Deo servire non possint.

Vera germanaque seu, ut vocant, essentialis sanctitas in animo nidum suum habet, hoc est, quando is imperet, amor vero sui inordinatus facessat omnesque aliae passiones corporis perfecte rationi subiiciantur. Unde amor erga Deum proximumque, qui hominem cum Deo nectit, valide exardescet, quod cum fiet, moritur homo sibi, ut vivat Deo, aliaeque virtutes omnes mox consequuntur. Iam is possessiones com-

modaque utut magna, nihil curat studiumque consequendi eas abiicit, aiens cum apostolo: Ecce nos reliquimus omnia. Ad nullum casum, summum etiam commovetur; non animo perturbatur, tolerantia armatus. Si etiam fortuna ipsi ad amussim faveat eveniantque omnia pro libitu votoque, non effertur, imo tunc magis sese dimittit, quia in sancta humilitate bene est fundatus. Et haec est genuina essentialis perfectio, quae in veris christianis reperiri debet. Ut ad eiusmodi sanctitatem christianus (p. 605) homo facilius pervenire possit, adinventus est a Sanctis Dei modus, hoc est, status monasticus, qui praeterquam quod separat a consuescendo cum hominibus saecularibus, complectitur praeterea in se tria vota, nimirum paupertatis, castitatis obedientiaeque, per quae hominem ad perfectionem tanquam per certa media ad optatam metam perducit. His enim armatus miles Christi vincit tres hostes animae: mundum, carnem et daemonem, qui ipsi transitionem ad patriam a Deo promissam vetant, aut saltem remorantur. Paupertate superat mundum, quando omnes eius thesauros, dignitates commodaque temporalia, quibus ille homines valide devellit a Deo, calcat castitate, carnem quando Deo vovet, nihil se permissurum carni, ut spiritus eo aptior sit colendo laudandoque Deo. Obedientia execratum daemonem prosternit, qui et ipse superbia oecidit et parentem primum nostrum inobedientia, quae ex superbia pellulat, ad interitum redegit.

Haec sunt tria vota, de quibus Graeci monachi neque sciunt, et tamen in his status monasticus consistit, quibus amotis nihil a statu saeculari differt.

De contemplatione vero quid dicemus? quae est erectio mentis in Deum per considerationem penitentiaeque intro (!) apud semet expansionem legis, operum, beneficiorumque Divinorum nostrae humilitatis ac omnium, quae in mundo sunt vanitatis. Citra quam ipsa haec tria memorata vota observare atque ad veram perfectionem, de qua dixim(us) pertingere non tantum difficile est, sed nec possibile. Fateri oportet res esse apud nos inauditas.

Et tamen praeterea, quae de contemplatione Divinorum in

sacris litteris extant, multa de ea exempla leguntur in vitis sanctorum nostrorum anachoretarum, qui integras dies noctesque agendo cum Deo impendebant immotis labiis, solo vero corde cum Moyse potenter clamando: Libri autem illis erant coelum, sidera, arbores, aves, animantia omnisque res creata: quos lectitando doctiores evadebant, quam su(m)mi illarum aetatum philosophi, quem ad modum in vita magni Antonii nostri aliorumque plurium videre est. Unde concludo: aedificium religionis nostrae Graecae, patrum familias in eo degentium incuria e fundamentis motum esse.

Quare magna celerique reparatione indigere, ne supremus dominus ad ultimum nobis irascatur, quod in eius rebus tam diu tantopereque negligentes simus, religionemque nostram ac nos ipsos e radice evellat, quemadmodum fecit in Asia, in Africa, ubi olim pene ubique christiana religio florebat. (p. 605v) Nos vero quo praestamus illis ut dicere possimus, nobis nil tale eventurum. Tremendum illud, quod nec eximit quempiam, quod propheta ait, (Ierem: 48): „Maledictus, qui opus Domini facit negligenter“. Cui autem Deus maledicit, haut (!) scio, unde benedictionem speret.

Cuncta haec Deo auxiliante reficientur, si ad monachos nostros doctrina vitaeque religiosa introducta fuerit, ut supra meminimus. At unde comparabimus doctores, qui et possint et velint praestare nobis beneficium? Inter nosmet non reperiuntur, quemadmodum demonstratu(m) est: aliunde igitur quaerendi sunt. Ab haereticis ne licet, nec consequemur, nam hi cum hostes sint fidei ceremoniarumque nostrarum, ad extremum diruerent, reficere quoque nesciunt, sed duntaxat res factas destruere.

Refugiendum itaque restat ad fratres nostros, cum quibus ex eadem matre prognati sumus, eodemque lacte in prima aetate nutriti, hoc est ad Latinos sive Romanos. Apud illos et doctrinam solidam et veram vitae sanctitatem, modo quis cum eis demorari simplicique oculo res ipsorum inspicere velit, quisque inveniet.

Verum duplex obex viam nobis ad eos praestruit: alter

rubor, cum dicimus: dedecori id nobis futurum, si ab illis petamus magistros, qui olim a nobis disceba(n)t. At minoris id momenti est, ita quippe ordinavit Deus Dominus, ut homo discat sese dimittere, nec sibi venditet, ac si propriis viribus providentiaque magni quid efficere possit. Erat tempus, cum magistri fuimus, Romani vero lubentes discebant apud nos. Nunc vero, quia pro elato animo nostro corripuit nos Dominus Deus, eo deventum est, ut illi magistri nostri, nos vero eorum discipuli simus.

Alter maior obex est, quantum attinet ad illos, qui sanctae unioni ecclesiae Graecae cum Romana adversa(n)t(ur), hoc est innatum odium iraque implacabilis Graecorum disunitorum contra Romanos. Unde provenit, ut etiamsi in illis angelica sit doctrina sanctitasque vitae evidentibus confirmata miraculis tanquam hos(!) capitales non sint audituri, cui remorationi ita occurro. Inimicum animarum patremque disse(n)ssionum ac osorem unionis sanctae ecclesiarum Dei, hoc odium in cordibus calamitasorum (!) nostrorum hominum plantasse, quod probe sciret, quanta bona, tam animae, quam corporis illis ex nexu cum Romanis proventura essent. Eius id opus esse signum evidens est, quod malint cum haereticis (p. 607) manifestis hostibus tam fidei, quam ritus eorum consuere, quam cum Romanis, qui eos tanquam fratres suos complectuntur. Si modo inspiciamus historias, comperiemus res nostras mire eoque tam doctrina, quam sanctitate vitae floruisse, quousque cum Romanis idem idem (!) unumque fuimus. Scisso nexu omnia nobis discesserunt, migrarunt ad Romanos. Monstret quis mihi post scissionem a septingentis hisce et amplius annis aliquem Chrisostomum, Basilium, Gregorium, Cyrillum, Athanasium, quorum olim dives erat ecclesia nostra. Ego vero apud Romanos monstrabo in quolibet saeculo multos viros, patrum illorum similes.

Apud nos nullum deinde celebratum est concilium ecumenicum, apud Romanos vero tot, quorum aliquot celeberrima fuerunt, quibus multa bona atque ecclesiae Dei necessaria praestita sunt.

Alii aequiores et qui unionem amplexi sunt, ad aliud quid respiciunt existimantes ob consuetudinem cum Romanis ritus nostros ecclesiasticos collapsuros, quando illi nos nostraque ad ritum suum pertrahere contendent.

Verum nemo id merito timere potest, nam praeterquam quod ab oecumenico concilio Florentino, in quo mutuo utriusque gentis consensu unio Graecorum cum Romanis coaluit, confirmati sunt atque pro sacris agniti ritus, quibus ecclesia Graeca utitur. Verum his quoque proximis annis, quando praelati Rhuteni unionem hanc per multos annos absitam instaurarunt a Clemente VIII Romano Pontifice, privilegio singulari in scripto dato, satis expresse tanquam liciti adeoque observandi sunt declarati additaque excommunicatio contra illos, qui ceremonias ecclesiae Graecae convellere vellent.

Ad haec modus quoque, quo Romani res nostras sustentare possint, quem infra proferam, satis tutus erit ritibus nostris in integro conservandis.

Quo igitur modo agemus cum Romanis, ut duo ista salvis rebus nostris ab eis consequamur, hoc est: doctrinam perfectionemque religiosam? Duo tantum modi sunt, ut videlicet aut ipsi ad illos nosmet conferamus, aut illi sui nobis copiam praestent, nam discipulo simul cum magistro oportet esse, praesertim quod attinet perfectionem religiosam, quam celerius condiscet ex consuetudine cum religioso perfecto, praequam ex concionibus librisque selectissimis. Hactenus istud posterius, quod tamen est praecipuum, ad partem reponebamus, prius duntaxat praesentes (?!) rati abunde (p. 607v) nos rebus nostris consulturos easque reperaturos, si docti apud nos doctrinaque extet, quamvis caetera omnia desint. At decepti sumus, quod id tantum attenderimus, quod mundo, non quod Deo arridet. Bona quidem est, atque ad res spirituales multum conferens doctrina, sed cum est cum pietate coniuncta, qua destituta maiori exitio homini, quam adiumento est etiam in rebus politicis civilibusque. Curarunt dives quidam gentis nostrae doctores sumptuque ingenti e Graecia, Germania aliisque regionibus eos ad se exciverant, verum quia alii defue-

rant doctores, qui iuventutem inbuerent pietate omnique genere virtutum instruerent, quae eos et Deo charos et hominibus acceptos et sibimet deinde ipsis multum utiles efficerent.

Cum enim tenera aetas ad quodvis malum, quemadmodum plus quam nimium notum est, prona sit, ad bonum verum etiam facile flecti possit, vigili, diligenti atque in rebus ad animum spectantibus bene exercitato inspectore opus habet, qualis apud nos hucusque desiderabatur. Id circo ex scholis illis nullum ecclesia nostra retulit adiumentum. Tales enim magno sibi ducunt probro, si fiant ecclesiastici, ac proinde ne fiant, nisi qui nulli usui sint nullumque receptum habeant.

Unde vero id proveniat? inde quod in scholis educatione bona destituantur. Deus quoque eiusmodi scholis subtrahit suam benedictionem, id quod abunde spectavi, cum et ipsemet studiis operam darem in diversis academiis et alios observarem. Hac nostra aetate scholae Patrum Societatis praestant; plus sciet, qui per triennium apud illos vacavit philosophiae, quam qui apud saeculares doctores annis decem. Causa rei huius est, quod non sint mercenarii, prompte libenterque praestant, quidquid ad gloriam Dei bonumque commune facturum putant. Docent autem eadem diligentia timorem Dei pietatemque, qua scientias. Idcirco Deus ipsis benedicit, ut scholae eorum per omnes regiones, ubicumque degunt, floreant, quod apud saeculares doctores nunquam videre est, etiamsi quam diligentissime docere velint. Et haec est causa, ob quam primus ille modus nobis non successit.

A(l)tero quoque modo usi sunt nostri et etiam nunc utunt(ur): non advocant ad se Romanos, quemadmodum supra dicebamus, sed ipsi ad eos vadunt. Verum nec id nobis ex voto cessit. Nam illi, qui deditiores virtuti pietatique erant, in quibus collocabamus spem auxilii perspecto ritu Romano observatoque, quod omnia in eo adsint, quae pius animus proficiendo in Dei timore cupere possit, hoc est, confessarii eximii confessio sump-tioque Sanctissimae Eucharistiae frequens, concionesque vel glaci-ati-ssimae incendant, pastores boni, populus pius, ut undique exempla promineant virtutis sanctitatisque, in summa omnia

eiusmodi sunt, quibus anima saginetur. E contrario, quae fiant (p. 609) apud nos, patent: Requiris sacerdotem? non est, qualem requiris. Vis confiteri peccata? non adest, coram quo id praestes. Ad ecclesiam non est, cuius rei gratia pergas, nam ibi tanquam in taberna, nec religio, nec ordo multaque alia, quae conspecta cordolio sunt homini cultum gloriamque Dei amanti, praesertim cum intuetur, quanta gentili barbaria tractatur Sanctissimum omnibusque virtutibus coelestibus tremendum Eucharistiae Dominicae Sacramentum. Nec spes adest emendationis, quia superiores, quibus id incumbit, nil curant. Haec igitur cernentes isti nostri abiecto ritu Graeco ad Latinos migrant, nobisque iam ut maxime velint opitulari non possunt. Cui occurendo inventus fuit sapiens modus quidam a Clemente VIII, qui statuit, ut quicumque ad Callegium Graecum Romae studiorum causa veniat, antequam inde discedat, iuramentum praestet, quo promittat et se in ritu Graeco perseveraturum et pro virtutibus suis eius incrementum curaturum. Verum quis huius etiam medii exitus? quippe cum redeunt in Russiam, cavent ab illis Russi praequam a Romanis, dictitantes hos esse domesticos hostes ideoque firmabiliores. Quare vix quid solidi effecerunt et pene malles quispiam eorum abdictos disordines, multo pretio redimere sese absolvi que a ritu Graeco. Verum quia iuramentum obstat neque retro pedem referre fas est, cogitur vel invitus, ita persistere curareque, ut res ad bonum ordinem reduci possint.

Sententia igitur mea est, quemadmodum superius quoque innui, ordiendam esse instaurationem a domo Dei hoc modo, ut religio quaequam ritus Romani tam in sanctitate, quam in esperitate vitae bene exercitata nostraeque religioni sancti Basilii quam simillima, eam curam suscipiat, ut pro(mo)vendae gloriae optimi Dei bonoque animarum christianarum, quarum tot millia millium exerrant, mittat nobis tot religiosos, quot requirentur a nobis, vitae sanctitate doctrinaque praestantes, qui absolute amplectantur ritum Graecum et institutum sancti Basilii, ita ut in omnibus genuini Graeci audiant. His facile



procurabimus monasterium aliquod<sup>12)</sup>, addemusque eis tot nostros, quod (!) internos idoneos habuerimus, ut nostri eos linguam Rhutenicam ceremoniasque nostras, ipsi vero nos scientias nobis magis necessarias doceant, et quod maximu(m) est, ad religiosam perfectionem, de qua diximus, forment. Unde post aliquot annos etiam scholae pro saecularibus penes monasteria nostra erigi possunt, ut eos monachi tam scientias, quam imo magis pietatem doceant. Ex quibus deinde scholis ita bene institutis monasteria nostra viris doctis implebuntur sanctitasque apud nos ac cum ea (p. 609v) omne bonum efflorescet.

Hunc modum nemo nostrum defugiet, non enim Romani, sed iam nostri Graeci nos docebunt. Sola restat difficultas, an assensuri sint nobis Romani subituriue hoc negotiu(m).

Rogandi sunt sollicitandique sunt. Apud prudentes amantesque gloriam Dei omnia obtinebimus, modo ne quid conscientiam laedat. Conscientiam vero id minime laedet, cum non sit res nostra fidem factitatumque fuit ante, cum unio fuit. Modo quoque multi nostrum profitentur ritum Romanum et quidam Romanorum in ipsa Urbe Romae ritum nostrum.

Et quod summum est, ruina adeo grandis ritus nostri per tot amplissimas gentes diffusi, permovebit quemque, qui Deum diligit, ut id faciat. Saltem vero attendanda (!) res apud sanctissimum patrem papam: multa magis ardua concedebantur, cum urgens exigebat necessitas, urgentior vero nostra revera non videtur esse.

Ita restituta monasteria hos nobis fructus afferent: 1-o. Religiosi doctrina vitaeque perfecta lucebunt. 2-o. Confessarios concionatoresque bonos, quibus hactenus destituti sumus, habebimus. 3-o. Aperientur bene institutae scholae, ex quibus boni sacerdotes Ecclesiae, dignique viri reipublicae producentur. 4-o. Implebimus sedes episcoporum, archiepiscoporum viris eiusmodi, qui norint, quod sit officium, quod suscipiunt susti-

---

<sup>12)</sup> „... mittat nobis tot religiosos, quot requirentur a nobis“; „procurabimus monasterium aliquod“. Non est igitur sermo in tractatu — ut sentit Żukowicz, (op. cit., 1101) — „o massowom pieriesielenii rim. katoliczeskich monachow“.

nantque et quomodo sese in eo gerere debeant. Facile vero expediri posset, ut nulli ad dignitates ecclesiasticas ascendere liceat, nisi exactis aliquot annis in vita religiosa in eiusmodi monasteriis exhibitisque sufficientibus indiciis bonae suae conversationis. 5-o. Adaperiretur via ad benefaciendum aliis fratribus nostris, qui eodem nobiscum ritu utuntur. Per haec autem omnia collaudaretur per nos Deus eiusque sancta ecclesia exornaretur, quod homo quilibet christianus totis viribus curare debet.

Extat quoque discursus quidam Iosephi de rebus Rhutenorum in Thesauro Sapientiae Divinae, alias de conversione gentium auctore R. P. Thoma a Jesu Carmelita excalceato. Quem librum quia collector non habet ad manum, non hic exhibet. (p. 609v).